

Rare book  
QK495  
F130  
J33  
1794

OXALIS.  
MONOGRAPHIA,  
ICONIBUS ILLUSTRATA.

---

AUTORE  
NICOLAO JOSEPHO JACQUIN.

□

---

VIENNAE  
apud Christianum Fridericum Wappler; Londini apud B. White & Filium;  
Lugduni Batavorum apud S. & J. Luchtman.

1794.



*Par cunctis facies, qualem decet esse sororum,  
Una fere est ætas, eadem quoque gratia formæ,  
Ut mox agnoscas, qua fuit de stirpe creatæ.  
At nomen dare cuique suum, quod separet omnes,  
Hoc opus, hic labor est. Tentavi plurima casso  
Successu; donec ventum est ad viscera floris  
Intima & ad gemini penetralia condita sexus.  
Tunc sedes stabilita fuit, speciesque reperta.*

CAROLO PETRO THUNBERGIO

HANC MONOGRAPHIAM

DICAT

AUTOR.

---

**Q**uam genus Oxalidis dijudicatur facile, dum mox ferme omnes vel solo ex habitu cognoscantur, tam ob hoc ipsum specierum disquisitio in hoc genere inter difficillimas numerari meretur: nam in univ[er]sum quo magis foliis & inflorescentia inter sese conveniunt species unius ejusdemque generis plurimæ, hoc ægrius ab invicem discerni hæc cum certitudine & firmitate possunt. Cujus quidem rei exempla habemus manifesta in Salicibus, multis Graminum generibus, Veronicis, Cistis, Asteribus, aliisque, nullibi autem meo judicio manifestiora quam in Oxalidibus.

Singularem & rarissimam nactus opportunitatem videndi & examinandi numerosas Oxalidum species vivas & florentes, hic aliquid præstare potui, quod non sic potuerunt alii; & quantum id sit, ex hoc opusculo judicabunt periti harunce rerum arbitri. Accedit, quod non una alterave culta, misella sæpe, plantula characterem obtulerit; sed uniuscujusque speciei permultæ, imo sæpe centenæ, & valde vegetæ individua. Tum quod fere eodem florentes tempore viderim, quo comparatio & determinatio evaserunt faciliores minusque hallucinationibus obnoxia. Tandem etiam quod per sex annos repetere licuerit observata prægressa.

In dandis nominibus trivialibus non ubique fui felix, nec esse potui; & hæc, tantilli res certe momenti, non mediocri mihi negotium facessivit. Exemplo sint Oxalides num. 80. & 84; quarum nomina trivialia fere nihil significant.

Quamvis numerosæ Oxalidum species in horto Schönbrunnensi flores produxerint suos, sunt tamen quædam, quæ hucusque nullum dederunt, quas inter tomentosa paucæque aliæ nedum mihi notæ. Sunt etiam a celeberrimo Thunbergio descriptæ plusculæ, quas omnino non possidet hortus. Hos vir idem optimus pro benevolentia sua siccas mecum communicavit fere omnes, ad quas & figuras deli-

A

2  
neari curavi exactissimas, & descriptiones concinnavi, mutuatis ex Thunbergio ipso momentis illis, quæ haud poterant offerre siccæ. Unde opus exsurrexit magis quidem completum, minime tamen absolutum. Oxalides Feuillei peruvianas, Burmanni africanam unam, & caribæam Plumieri, etiam inserui, quas nec vivas videre mihi contigit nec siccas. Harum determinationes specificas excerpti ex autorum figuris & descriptionibus, omnino valde mancas.

In universum Oxalides, imprimis capenses, cultæ multo sunt majores & elegantiores quam in solo natali, ut ex speciminibus siccis & figuris meis patet abunde, & exemplo demonstravi in iconibus Oxalidum versicoloris & pectinatae. Nulla ex capensibus apud nos hucusque fructum ullum perfecit; Oxalis Barrelieri autem quotannis copiosissimos. Omnes, quas possidemus, capenses florent apud nos Septembri, Octobri, Novembri & Decembri; frequentius autem Septembri & Octobri. Et hæ in loco natali florent apud Thunbergium ab Aprili ad Julium. Eandem igitur utrobique anni tempestatem servant, scilicet totum autumnum. Sola incarnata floret apud nos Majo; at hujus mensem in patria Thunbergius non adnotavit. Natantem & repentem, quas serius florere Thunbergius asserit, hic non habemus.

Optime coluntur in ollis, quæ plures individuas capere possunt. Terra sit cum tanta arena subtili mista, ut ne vel rigata coalescere queat; sed maneat semper, ipsius adinstar arenæ, ad digitum immissum mobilis. Quando folia Februario & Martio marcuerunt, ollæ locentur in hybernaculo, ibidemque sine ulla cultura aut irroratione sicut veluti neglectæ, sic tamen ut ne bulbi exponantur murium voracitati. Ineunte Augusto transferantur sub diem, & moderatim irrorentur. Sub finem hujus mensis aut paulo serius folia in conspectum venient. Septembri ocyus tardius pro clementia tempestatibus transportentur in caldarium, fenestris haud valde inclinatis instructum, ibidemque radiis solaribus sint quam maxime expositæ; sic florebut. Sed negabant sic florere trecentæ forte individuæ Oxalides monophyllæ & rostratæ; quarum duæ ollæ anno elapso, experimenti causa, positæ fuerunt in caldario calidissimo, & floruerunt forte triginta ex his individuæ, dum nulla floruit in caldario temperationi.

Radix plerisque Oxalidibus bulbosa est ; paucis crassa & carnosae ; paucis ramosa. Bulbi constant squamis carnosis, modo arcte mutuo incumbentibus, modo solutis & divergentibus. In paucis stipes subterraneus & fibra bulbi terminalis in suo decursu novos bulbillos, dentium caninorum sub forma, procreant, unde planta valde scbolifera evadit, ut nonnunquam tota olla vel ad fundum usque tandem repleatur bulbillis, quod videre est in purpurea, cernua, reptatrice. Interdum bulbus profunde hærere observatur, uti in tomentosa ; scilicet bulbus primus, superficiei terræ proximus ex basi fibram radicalem recta in terram demittit ; quæ ex latere profundius novum bulbum generat, proximo anno, dum prior ille perit, novam plantulam producturum. Si tunc plantula ex terra extrahitur, abrumpitur sæpe a bulbo stipes subterraneus, qui radicem mentitur ramosam. Id creberrime fieri, patet ex specimenibus siccis capensibus herbariorum, ad quæ sic male ab autoribus descripta radix fuit. Bulbi, cortice duro & integro donati, facilius pereunt, forte quia nuclei suffocantur. Exemplum talis bulbi habetur in Oxalidis tricoloris varietate, truncati in latere, ut nucleus inclusus conspici possit. Nonnunquam ex bulbis fibræ radicales fusiformes crassæ longæque monstrose enascuntur, uti in Oxalide glandulosa aliisque videre est.

*Caulem* in Oxalidibus dico, quando hic folia omnia omnesque pedunculos alterna gerit, & nec hos nec illa in umbellam terminalem aggregata. Hic modo ramosus est, modo simplicissimus, plerumque inconstanter. Dum vero folia & flores umbellatim simul aggregata caulem terminant, hunc in Oxalidibus, non caulem, sed *stipitem* voco. Hic aut nulla aut paucissima, rarissime plura in decursu folia habet. Modo infra terram totus absconditur, quem saluto *subterraneum*, quando planta vulgo dicitur acaulis. Modo supra terram prominet erectus, reclinator, aut procumbens, quem nomino *exsertum* ; qua quidem in exsertione tanta occurrit varietas, ut stipes sit vel in eadem sæpe specie aut semipedalis, aut uncialis, aut plane nullus, quod imprimis Oxalidi polyphyllæ contingit. Sunt vero Oxalides, quibus perpetuo stipes sub terra latet, ut breviscapa, purpurea, & aliæ. Sunt vicissim, quibus semper exseritur, uti gracilis, versicolor, tenuifolia. Stipites ut plurimum simplicissimi sunt ; dantur tamen etiam ramosi, quorum tunc ra-

mi non minus in umbellas desinunt, ut incarnata, polyphylla. Hinc oritur divisio Oxalidum in *caulescentes & stipitatas*.

Folia in nulla forte Oxalide sunt vere sessilia; subsessilia in paucis; in plerisque petiolata. Simplicia in tribus; binata in quatuor; pinnata in unica; in reliquis ternata. Petiolus in paucis ex basi latefcente & submembranacea oritur. In plerisque ipsa basis petioli articulum format brevem, ex annulo ambiente facile dignoscendum; quem petiolum *articulatum* voco. Alatus est in paucissimis. Foliola ut plurimum subsessilia vel brevissime petiolata sunt, quantum ad figuram valde diversa, plerumque magis minusve punctata, rarissime tota glaberrima, in aliis utrinque virentia, in aliis subtus colorata idque sæpe elegantissime, fere omnia saporis acidi.

In caulescentibus pedunculum dico, quem in stipitatis scapum, quia has ceu acaules confidero. Uterque basi, petiolorum more, ex articulo oritur, tunc *articulatus*, quo pauciores carent. *Bracteolis* gaudent plerique duabus, modo alternantibus sine ullo geniculo, modo oppositis & tunc ut plurimum ortis ex geniculo sive articulo manifesto, quas bracteolas nominavi *articulantes*. Situs bracteolarum in petiolo ratione altitudinis diversus est, vel inferne, vel circa medium, vel superne, vel sub ipso calyce, semper in eadem specie constanter unus idemque. Paucissimæ species bracteolis destituuntur.

Calyx in plerisque tam parum basi concretus est, ut potius ad pentaphyllos pertineat. In Oxalide Acetosella magis dici monophyllus meretur. Foliola ejus hirsutie, colore & latitudine valde variant vel in eodem sæpe flore, ut ad species distinguendas parum faciant. Aucta depinguntur, qualia in qualibet specie frequentius occurrunt, in eadem semper proportione, quam ad genitalia habent, ut horum sic longitudo sponte pateat.

Corollam alii pronuntiarunt monopetalam, quos inter Tournefortius, Rajus, Rivinus, Ludwigius, Magnolius, Allionius, Thunbergius. Alii pentapetalam, uti Ruppilius, Knautius. Linnæus medium tenuit, dum corollam basi subcohærentem vocavit. Aiton quinque petala esse dicit, unguibus connexa. Dillenius in descripta sua Oxalide observat, petala esse quinque, ad ungues obiter cohærentia,

fundo non integro donata ; unde ille flores non tam monopetalos quam pentapetalos credit. Sic Hallerus. Certe unguium bases quinque distinctæ in plerisque (nec tamen in omnibus) corollam pentapetalam indicant. Quin dentur, in quibus petala sunt liberrima, nec vel minimum connata. In aliis dumtaxat levissime conglutinata, & sine omni dilaceratione separanda. In aliis ex adverso videntur vere connata. Vacillans hoc discrimen, sæpe nec cum certitudine determinandum, in descriptionibus non tetigi, & corollas pro pentapetalis habui. Plurimæ forma gaudent *campanulata*, ex unguibus erectiusculis & limbo patente amploque. Paucis ungues sunt longissimi simulque cylindrum fingentes cum limbo patentissimo, quas ex similitudine *caryophyllæas* nominavi. Color est albus, flavus, purpureus vel ruber ; in paucissimis speciebus aliter variabilis quam intensitate.

Filamenta semper adsunt decem, ut plurimum basi coalita in cylindrum, adeoque monadelphæ ; in paucissimis speciebus omnino libera. Nulla unquam ex origine sua sunt aliis interiora ; sed in adscensu suo quinque alterna magis introrsum vergunt, quæ propterea *interiora* audiunt. Reliqua, quæ strictius eriguntur, vocantur *exteriora*. In pluribus speciebus interiora (exteriora nunquam) inferne ex dorso incrassato dentem emittunt manifestissimum, in aliis solum gibbum obtusum ; quæ *denticulata* dicuntur. Sunt autem *edentula*, in quibus talis dens aut gibbus deficit. Filamenta interiora perpetuo longiora sunt exterioribus, & modo inter sese altitudine *æqualia*, modo *inæqualia*. Exteriora rarissime inæqualia sunt. Filamenta aut sunt glabra, aut sunt hirsuta idque vel pilis simplicibus vel capitatis. Hirsuties aut glabrities non est semper eadem in utriusque ordinis filamentis ; nec semper denticuli sequuntur hirsutiem filamentorum, & hirsuti dum sunt, solo in antico latere pilos emittere solent. Antheræ flavent, rarius albent, incumbentes ut plurimum, in paucis speciebus erectæ.

Germen est pentagonum, oblongum vel ovatum, hirsutulum imprimis superne, rarius totum glabrum. Aut ex viridi pallet totum, aut præterea utrinque ad angulos seriem habet longitudinalem simplicem callorum sive punctorum aurantiacorum. In tabulis Oxalidum undulatae & glandulosæ figuram auctam hujusmodi germinis adjeci. Hoc in descriptione germinis uno *callofi* verbo expressi ; quod si



desideratur, & tamen germinis mentio fit, intelligitur, in hac specie germen callis carere. In plusculis neglexi germinis descriptionem; in siccis extricare non potui. Styli sunt quinque, raro glabri; modo filamentis interioribus longiores (dicti a me *longissimi*); modo his breviores, sed tamen exterioribus longiores (*intermedii*); modo vel ipsis breviores filamentis exterioribus (dicti *brevissimi*); modo filamentis interioribus præcise *æquales*, quod est rarissimum. Stigmata penicilliformia fere omnibus, quare haud adnotavi; paucissimis tantum capitata, quod indicavi.

Non est hæc diversa styliorum ad stamina proportio solus naturæ variantis lusus. Id quidem credidisse videntur Botanici, vel certe tanta hanc rem negligentia tractaverunt, ac si ita credidissent. Hos inter ipse ego fui, qui in describenda *Oxalide violacea hort. bot. vol. 2. pag. 84.* ne attigerim quidem stamina, non magis quam in *Oxalide coll. vol. 3. perperam mihi dicta versicolore.* Quin vel ibidem *num. 365.* in alia *Oxalide* dixerim stylos staminibus longiores, qui in eadem sunt staminibus omnibus breviores, scilicet desumptis staminibus ex genuina *Oxalide hirta* Linnæi, quam tunc cum illa mea falso credebam eandem. Et simile quid humani accidit celeberrimo Thunbergio, aut forte potius respondenti Hermanno Rudolpho Haist, in dissertatione de *Oxalide*. Facit tamen hujus rei consideratio quam maxime ad distinguendas species, imo sola nonnunquam totam indicationem absolvit. Per quinque annos de industria hanc genitalium proportionem profecutus sum in millenis floribus, & ne vel semel ab hac veluti naturæ præscriptione aberrasse ullum vidi. Aequæ constantia sunt filamenta in dentium aut præsentia aut defectu; quorum sola pauciora illa, quibus denticuli sunt obtusi & truncati, horum loco nonnunquam tantum gibbos gerunt, magis minusve notabiles. Aequalitatem & inæqualitatem filamentorum non minus constantem observavi. Quod ergo natura alibi per folia, inflorescentias, aliaque ad constituendas species aperte facit, idem in *Oxalidibus*, quæ foliis, inflorescentia habituque tantopere inter sese conveniunt, facit occulte in genitalibus.

Paucarum fructus descripti aut cogniti sunt. Cognitis est capsula magis minusve quinquangularis, raro quinquealata, cylindrica vel ovata, plerumque villosa, quinquelocularis & longitudinaliter quinquevalvis. Semina paucissima vel plurima

in una serie longitudinali sibi mutuo incumbunt, subrotunda, compressula & transversim rugosa. Includuntur singula pelliculæ albæ coriaceæ pellucidæ & nitidissimæ, quæ arilli species est. Hic arillus in semine maturo exsiccat, & tunc summa vi elastica in duas valvulas cohærentes dissilit, semen dimittit, atque una cum hoc ex angulis capsulæ secedentibus violenter ejaculatur. Capsulæ tunc arefcunt & contrahuntur. Arillus rugas seminis impressas retinet. Jam in horto elthamensi Dillenius hanc rem pag. 299. descripsit, & figuris expressit, quas auctas repetii in tabula Oxalidis corniculatæ.

*Oxalis* nomen est, datum huic generi a Linnæo in horto Cliffortiano, quem Royenus, Gronovius, Burmannus, Millerus, Thunbergius, Jussieus, & fere cæteri recentiores secuti sunt. At, puto, haud recte datum est; nam Plinius in historia sua naturali libr. 20. cap. 85. sic dicit: *Nec Lapathum dissimiles effectus habet. Est autem & sylvestre, quod alii Oxalidem appellant, sapore proximum, foliis acutis, colore betæ candidæ, radice minima; nostri vero Rumicem, alii Lapathum cantherinum.* Unde patet manifeste, Oxalidem antiquorum esse diversissimam ab Oxalide Linnæi plantam, & videri Rumicis esse speciem, forte Rumicem Acetosellam. Quare Tabernæmontanus, Dodonæus & Johannes Bauhinus apte hunc & affines Rumices Oxalides salutarunt. Antiquioribus Botanicis Clusio, Rajo, Plumiero, Tournefortio, Feuilleo, tum & recentioribus paucis, uti Hallero & Allionio, genus hoc dictum *Oxys* fuit, & sane melius; nam idem Plinius libr. 27. cap. 89. inquit: *Oxys folia terna habet.* Quæ quidem descriptio, quantumvis brevissima, tamen Oxalidem nostram corniculatam indicare videtur, in Italia & Mospelii vel hodiedum officinalem plantam. *Trifolium vero acetosum* aliorum quorundam antiquiorum non moror, utpote scientiæ botanicæ repugnans elementis. Cum videam, Oxalidis nomen hodie generalius esse receptum, nolui ad vetus reverti.

**CHARACTEREM GENERIS**, omnibus speciebus cognitis competentem, hunc propono.

**CAL.** Perianthium quinquepartitum, breve, persistens.

**COR.** Petala quinque, sæpe inferne cohærentia, unguibus erectis, laminis patentibus.

**STAM.** Filamenta decem, subulata, erecta, basi in unum corpus plerumque connata; quorum quinque longiora. Antheræ fulcatæ.

**PIST.** Germen superum, quinquangulare. Styli quinque, filiformes. Stigmata obtusa.

**PER.** Capsula pentagona, quinquelocularis, quinquevalvis, angulis longitudinaliter dehiscens.

**SEM.** subrotunda, compressula, ex arillo proprio bivalvi elastice exsiliencia.

**CHARACTER ESSENTIALIS** erit: planta decandra, pentagyna, cum capsula quinqueloculari, longitudinaliter dehiscente, cumque feminibus arillatis.

Ut specierum determinatio evaderet facilior evidentiorque, omnes has in ordines conjeci summos duos, quos pro re nata magis minusve subdivisi. Illos desumpsi a pedunculis, aut I. plures quam unicum florem gerentibus, aut II. omnibus præcise unifloris. Utrumque hunc ordinem summum dispescui in A. caulescentes & in B. stipitatas plantas. Caulescentes in I. & II., tum etiam stipitatas in I. ultra in alias series subdividere supervacaneum duxi, quod vel sic facile determinantur, nec numero incommodum pariant. At vero stipitatae II. B. tot sunt, ut subdivisiones omnino exigant. Hæ a foliis apte petuntur, ut sic exsurgant ordines inferiores a. foliis simplicibus, b. foliis binatis, c. foliis ternatis, & d. foliis digitatis; quos inter solus ordo c. in sex series ultra dispescitur ab  $\alpha$ . ad  $\eta$ ., ex foliolorum figura definitas. Tabula hic apposita normam totius hujus distributionis proponit.

---

# OXALIDUM DETERMINATIONES

## SPECIFICAE.

### I. PEDUNCULIS MULTIFLORIS.

#### A. caulescentes.

1. **O**XALIS *pentantha* caule erecto ; foliolis obverse ovatis ; stylis brevissimis.
2. *O. rhombifolia* caule erecto ; foliolis rhombeis ; stylis longissimis.
3. *O. Plumieri* caule erecto ; foliolis oblongis ; pedunculis umbellatis.
4. *O. Barrelieri* caule erecto ; foliolis oblongis ; pedunculis bifidis , racemosis ; stylis æqualibus.
5. *O. rosea* caule erecto ; foliolis obverse cordatis ; pedunculis divisis , racemosis.
6. *O. conorrhiza* caule erecto ; foliolis obverse cordatis ; pedunculis subbifloris.
7. *O. crenata* caule erecto ; foliolis obverse cordatis ; pedunculis umbelliferis ; petalis crenatis.
8. *O. Dillenii* caule erecto ; foliolis obverse cordatis ; pedunculis subumbelliferis ; petalis emarginatis.
9. *O. stricta* caule erecto ; foliolis obverse cordatis ; pedunculis umbelliferis ; petalis integerrimis.
10. *O. corniculata* caule prostrato , radicante ; pedunculis bifloris ; stylis subæqualibus.
11. *O. repens* caule prostrato , radicante ; pedunculis subbifloris ; stylis subintermediis.

## B. stipitatae.

12. *O. megalorrhiza* foliis ternatis; radice multicipite.
13. *O. sericea* foliis ternatis, tomentosis; stylis intermediis.
14. *O. violacea* foliis ternatis, obsolete villosis; stylis brevissimis; filamentis interioribus æqualibus; floribus clausis cernuis, expansis erectis.
15. *O. caprina* foliis ternatis, glabris, semibilobis; stylis brevissimis; filamentis interioribus inæqualibus; floribus erectis.
16. *O. cernua* foliis ternatis, glabris; stylis brevissimis; filamentis interioribus æqualibus; floribus clausis cernuis, expansis erectis.
17. *O. dentata* foliis ternatis; petiolis teretibus; stylis longissimis.
18. *O. livida* foliis ternatis, glabriusculis; scapis bifloris; stylis intermediis.
19. *O. compressa* foliis ternatis, subtus hirsutis; petiolis compressis; stylis longissimis.
20. *O. Burmanni* foliis digitatis.
21. *O. sensitiva* foliis pinnatis.

## II. PEDUNCULIS UNIFLORIS.

## A. caulescentes.

22. *O. macrostylis* corollis caryophyllæis; stylis longissimis.
23. *O. tubiflora* corollis caryophyllæis; stylis brevissimis; filamentis inæqualibus.
24. *O. canescens* corollis caryophyllæis; stylis brevissimis; filamentis æqualibus.
25. *O. secunda* corollis caryophyllæis; stylis intermediis.
26. *O. hirta* corollis campanulatis; stylis longissimis; filamentis edentulis, æqualibus.
27. *O. hirtella* corollis campanulatis; stylis longissimis; filamentis denticulatis, inæqualibus.
28. *O. multiflora* corollis campanulatis; stylis brevissimis; foliolis cuneiformibus.
29. *O. rubella* corollis campanulatis; stylis intermediis; filamentis edentulis.

30. *O. rosacea* corollis campanulatis ; stylis intermediis ; filamentis gibbose denticulatis.
31. *O. disticha* corollis campanulatis ; stylis intermediis ; petiolis alate stipulatis.
32. *O. tenella* subcaulescens ; corollis campanulatis ; filamentis edentulis ; foliolis obverse cordatis.
33. *O. reptatrix* subcaulescens ; corollis campanulatis ; filamentis denticulatis ; foliolis subrotundis.

B. stipitatae.

a. simplicifoliae.

34. *O. lepida* stylis longissimis.
35. *O. monophylla* stylis intermediis.
36. *O. rostrata* stylis brevissimis.

b. binatifoliae.

37. *O. crista* foliolis obverse ovatis, crispis.
38. *O. afinina* foliolis lanceolatis ; stylis intermediis.
39. *O. leporina* foliolis lanceolatis ; stylis longissimis ; filamentis denticulatis.
40. *O. lanceæfolia* foliis binatis ternatisque ; stylis longissimis ; filamentis edentulis.

c. ternatifoliae.

α. foliolis obverse ovatis, aut lanceolatis, aut oblongis.

41. *O. fabæfolia* foliolis obverse ovatis, planis ; petiolis alatis.
42. *O. laburnifolia* foliolo medio sublanceolato ; lateralibus oblique oblongis ; stylis longissimis ; filamentis denticulatis.
43. *O. sanguinea* foliolo medio sublanceolato ; lateralibus oblique oblongis ; stylis intermediis.
44. *O. minuta* foliolis lanceolatis, acutis ; stylis longissimis ; filamentis edentulis.

45. *O. ciliaris* foliolis oblongis, obtusis; stylis longissimis; filamentis edentulis.  
 46. *O. arcuata* foliolis lineari-oblongis, emarginatis; stylis brevissimis.

β. *foliolis linearibus.*

47. *O. linearis* filamentis edentulis; stylis longissimis; corollis caryophyllæis.  
 48. *O. gracilis* filamentis edentulis; stylis longissimis; corollis campanulatis.  
 49. *O. reclinata* filamentis edentulis; stylis intermediis.  
 50. *O. miniata* filamentis edentulis; stylis brevissimis.  
 51. *O. versicolor* filamentis denticulatis; stylis longissimis.  
 52. *O. elongata* filamentis denticulatis; stylis brevissimis; petalis emarginatis.  
 53. *O. tenuifolia* filamentis denticulatis; stylis brevissimis; petalis integerrimis.  
 54. *O. polyphylla* filamentis gibbose denticulatis; stylis intermediis.

γ. *foliolis omnibus cuneiformibus.*

55. *O. cuneata* filamentis edentulis; stylis longissimis.  
 56. *O. cuneifolia* filamentis edentulis; stylis brevissimis.  
 57. *O. glabra* filamentis denticulatis; stylis longissimis.  
 58. *O. pusilla* filamentis denticulatis; stylis intermediis.

δ *foliolo medio cuneiformi; lateralibus oblongis.*

59. *O. ambigua* stylis longissimis; foliolis immaculatis, planis; foliolis calycinis æqualibus.  
 60. *O. undulata* stylis longissimis; foliolis immaculatis, undulatis; foliolo uno calycis spatulato.  
 61. *O. fuscata* stylis longissimis; foliolis utrinque maculatis.  
 62. *O. glandulosa* stylis intermediis; foliis calycibusque capitate ciliatis.  
 63. *O. tricolor* stylis intermediis; ciliis simplicibus.  
 64. *O. exaltata* stylis brevissimis; foliolis fuscomaculatis; scapis erectis.  
 65. *O. rubroflava* stylis brevissimis; foliolis immaculatis; scapis erectis.  
 66. *O. flaccida* stylis brevissimis; foliolis immaculatis; scapis flaccidis.

*e. foliolis subrotundis, vix emarginatis.*

67. *O. variabilis* stylis brevissimis; foliolis immaculatis, levissime emarginatis.  
 68. *O. grandiflora* stylis brevissimis; foliolis subtus sæpe sanguineis, vix emarginatis.  
 69. *O. convexula* stylis intermediis; filamentis edentulis; foliolis convexis.  
 70. *O. purpurea* stylis intermediis; filamentis denticulatis; petiolis teretibus; foliolis immaculatis.  
 71. *O. laxula* stylis intermediis; filamentis denticulatis; petiolis teretibus; foliolis sæpe subtus purpurascentibus.  
 72. *O. breviflora* stylis intermediis; filamentis denticulatis; petiolis crassis, compressis.  
 73. *O. rigidula* stylis longissimis; foliolis immaculatis.  
 74. *O. speciosa* stylis longissimis; foliolis supra immaculatis, subtus sanguineis & aureopunctatis.  
 75. *O. fuggillata* stylis longissimis; foliolis adultis subtus totis & supra ad oras lividis.  
 76. *O. truncatula* stylis longissimis; foliolis truncatis.

*η foliolo medio vel omnibus obverse cordatis.*

77. *O. sulphurea* stylis brevissimis; filamentis edentulis; calyce ciliato.  
 78. *O. natans* stylis brevissimis; filamentis edentulis; calyce ad oras glabro; foliis natantibus.  
 79. *O. strumosa* stylis brevissimis; filamentis denticulatis, æqualibus; foliolis utrinque maculatis.  
 80. *O. luteola* stylis brevissimis; filamentis denticulatis, æqualibus; foliolis utrinque immaculatis & villosulis.  
 81. *O. lanata* stylis brevissimis; filamentis gibbose denticulatis, æqualibus; foliolis utrinque hirsutissimis.  
 82. *O. punctata* stylis brevissimis; filamentis denticulatis, inæqualibus; foliolis subtus coloratis & aureo punctatis.



83. *O. obtusa* stylis intermediis ; filamentis denticulatis , inæqualibus ; foliolis calycinis rotundato-obtusis.
84. *O. fallax* stylis intermediis ; filamentis denticulatis , æqualibus.
85. *O. marginata* stylis intermediis ; filamentis edentulis , æqualibus.
86. *O. pulchella* stylis longissimis ; filamentis edentulis.
87. *O. macrogonya* stylis longissimis ; filamentis denticulatis ; stipite subterraneo.
88. *O. incarnata* stylis longissimis ; filamentis denticulatis ; stipite exserto , longissimo , ramoso.
89. *O. bifida* stylis longissimis ; filamentis denticulatis ; stipite exserto , subramoso ; foliolis semibifidis ; corolla campanulata.
90. *O. longiflora* stylis . . . ; filamentis . . . ; stipite exserto ; foliolis semibifidis ; corolla caryophyllæa ?
91. *O. Acetosella* stylis æqualibus.

d. foliis digitatis.

92. *O. lupinifolia* stylis brevissimis ; calyce glabro ; foliolis planis.
93. *O. flava* stylis brevissimis ; calyce capitate ciliato ; foliolis canaliculato-conniventibus.
94. *O. flabellifolia* stylis intermediis.
95. *O. pectinata* stylis longissimis ; foliolis glabris.
96. *O. tomentosa* stylis longissimis ; foliolis subtus hirsutissimis.
-

## SYNONYMIA OXALIDUM.

3. *Oxalis Plumieri.*

*Oxalis* caule erecto, fruticoso; pedunculis umbelliferis. *Linn. syst. pag. 434.*

*Thunb. diff. num. 22. pag. 22.*

*Oxys* lutea, frutescens, trifolii bituminosi facie. *Plum. cat. pag. 2. Plum. ic.*

*pag. 207. tab. 213. fig. 1.*

4. *Oxalis Barrelieri.*

*Oxalis* caule erecto; pedunculis racemiferis. *Linn. syst. pag. 434. Thunb. diff,*

*num. 23. pag. 23.*

*Trifolium acetosum americanum, rubro flore. Barr. rar. pag. 8. fig. 1139.*

*Bocc. mus. 2. pag. 63. tab. 51.*

5. *Oxalis rosea.*

*Oxys* roseo flore, erectior, vulgo cullè. *Feuill. peruv. vol. 2. pag. 733. tab. 23.*

6. *Oxalis conorrhiza.*

*Oxys* amplissimo flore luteo. *Feuill. peruv. vol. 2. pag. 733. tab. 24.*

7. *Oxalis crenata.*

*Oxys* lutea annua; floribus dentatis. *Feuill. peruv. vol. 3. pag. 49. tab. 24.*

8. *Oxalis Dillenii.*

*Oxys* lutea americana humilior & annua. *Dill. elth. vol. 2. pag. 298. tab. 221.*

9. *Oxalis stricta.*

*Oxalis* caule erecto, herbaceo; pedunculis umbelliferis. *Linn. syst. pag. 434.*

*Thunb. diff. num. 21. pag. 22.*

*Oxalis* caule ramoso, erecto; pedunculis multifloris. *Gron. virg. pag. 71.*

*Brown. jam. pag. 231.*

*Oxys* americana elatior. *Tourn. inst. pag. 88. Dill. elth. tab. 221. fig. 4.*

*Trifolium acetosum corniculatum luteum majus rectum indicum seu virginicum.*

*Moris. hist. vol. 2. pag. 134. s. 2. t. 17. f. 3.*

10. *Oxalis corniculata*.

*Oxalis* caule decumbente, herbaceo; pedunculis umbelliferis. *Linn. syst. pag.*  
434. *Thunb. diff. num. 20. pag. 24.*

*Oxys* flavo flore. *Clus. hist. pag. CCXLVIII.*

*Trifolium acetosum corniculatum.* *Bauh. pin. pag. 330.*

*Trifolium luteum minus repens, etiam procumbens.* *Moris. hist. 2. pag. 153.*  
*s. 2. t. 17. f. 2.*

11. *Oxalis repens*.

*Oxalis* caule repente; pedunculis unifloris; foliis ternatis; foliolis obcordatis,  
hirtis. *Linn. syst. pag. 433. Thunb. diff. num. 14. pag. 16. tab. 1.*

12. *Oxalis megalorrhiza*.

*Oxys* luteo flore, radice crassissima. *Feuill. peruv. vol. 2. pag. 734. tab. 25.*

13. *Oxalis sericea*.

*Oxalis* scapis umbelliferis; foliis ternatis, tomentosis. *Linn. syst. pag. 433.*  
*Thunb. diff. num. 13. pag. 16.*

14. *Oxalis violacea*.

*Oxalis* scapis umbelliferis; foliis ternatis, glabris; calycibus callofis. *Linn.*  
*syst. pag. 433. Thunb. diff. num. 10. pag. 13. Jacq. hort. vind. vol. 2. pag.*  
*84. tab. 180.*

*Oxalis* caule aphylo, purpureo flore, radice tuberosa rotunda. *Gron. virg.*  
*pag. 71.*

*Oxys* purpurea virginiana, radice lilii more nucleata. *Plukn. alm. pag. 274.*  
*tab. 102. fig. 4.*

15. *Oxalis caprina*.

*Oxalis* scapis umbelliferis; foliis ternatis, glabris; floribus erectis. *Linn. syst.*  
*pag. 433. Thunb. diff. num. 11. pag. 13.*

*Oxalis* radice fibrosa; foliis triphyllis, cordatis, subtus incanis; florum petio-  
lis longissimis. *Burm. afr. pag. 73. tab. 28. fig. 3.*

16. *Oxalis cernua*.

*Oxalis* scapis umbelliferis; foliis ternatis, glabris; floribus plerisque clausis  
cernuis. *Linn. syst. pag. 433. Thunb. diff. num. 12. pag. 14. tab. 2.*

*Oxalis* scapo umbellifero ; foliis ternatis , bipartitis. *Mill. ic. vol. 2. pag. 130. tab. 195. fig. 1.*

19. *Oxalis compressa.*

*Oxalis* scapis unifloris ; foliis ternatis ; foliolis obcordatis , ciliatis ; petiolis compressis. *Linn. syst. pag. 432. Thunb. diff. num. 7. pag. 11.*

20. *Oxalis Burmanni.*

*Oxalis* bulbosa pentaphylla & heptaphylla ; floribus magnis luteis copiosis. *Burm. afr. pag. 74. tab. 29.*

21. *Oxalis sensitiva.*

*Oxalis* foliis pinnatis. *Linn. syst. pag. 434. Thunb. diff. num. 26. pag. 24. Loureir. cochin. pag. 350.*

*Oxys indica*, tamarindi foliis , floribus umbellatis. *Burm. Zeyl. pag. 173.*

*Oxoides malabarica sensitiva*, caule viridi glabro, flore luteo majore. *Garcin. act. angl. 1730. pag. 379. tab. 2.*

*Mimosa humilis* Indiæ orientalis , simpliciter pinnatis tamarindi foliis ; floribus coronariis flavis , lituris rubris eleganter striatis. *Plukn. alm. pag. 252.*

Herba viva. *Clus. exot. pag. 290.*

Herba viva, foliis polypodii. *Bauh. pin. pag. 259.*

Herba mimosa Malabarensum. *Zanon. hist. pag. 199. tab. 61.*

Herba sentiens. *Rumph. amb. vol. 5. pag. 301. tab. 104. fig. 2.*

Todda Vaddi. *Rheed. mal. vol. 9. pag. 33. tab. 13.*

25. *Oxalis hirta.*

*Oxalis* caule erecto , hirta ; pedunculis unifloris ; foliis ternatis , subsessilibus ; foliolis oblongis , emarginatis , hirtis ; (glabris scriptum est per incuriam in dissertatione citata, & in systemate repetitum). *Linn. syst. pag. 433. Thunb. diff. num. 18. pag. 20.*

*Oxalis* bulbosa, foliis angustis ternis hirtis, flore purpureo. *Burm. afr. pag. 70. tab. 28. fig. 1.*

*Oxalis bulbosa africana*, flore purpureo, foliis pilosis, pedunculis parvis. *Seb. mus. vol. 1. pag. 33. tab. 22. fig. 11.*

*Oxys africana bulbosa*, dorycnii monspeliensis parvis foliis, floribus purpureis amplis. *Plukn. amalth. pag. 164. tab. 434. fig. 7.*

23. *Oxalis multiflora.*

*Oxalidis hirtæ* varietas. *Jacq. coll. vol. 3. pag. 223. Jacq. ic. rar. vol. 3.*

29. *Oxalis rubella.*

*Oxalis hirta.* *Jacq. coll. vol. 3. pag. 232. Jacq. ic. rar. vol. 3.*

*Oxalis radice fibrosa*; caulibus ramosis; foliis ternis, angustis; florum petiolis longissimis. *Burm. afr. pag. 71. tab. 28. fig. 2.*

35. *Oxalis monophylla.*

*Oxalis foliis ovatis*, indivisis. *Linn. syst. pag. 432. Linn. mant. pag. 241. Thunb. diff. num. 1. pag. 8. tab. 1.*

44. *Oxalis minuta.*

*Oxalis scapis unifloris*; foliis oblongis, glabris. *Linn. syst. pag. 432. Thunb. diff. num. 2. pag. 8. tab. 2.*

51. *Oxalis versicolor.*

*Oxalis caule erecto*, hirta; pedunculis unifloris; foliis ternatis; foliolis linearibus, callofis. *Linn. syst. pag. 434. Thunb. diff. num. 19. pag. 21.*

54. *Oxalis polyphylla.*

*Oxalis versicolor.* *Jacq. coll. vol. 3. pag. 225. Jacq. ic. rar. vol. 3.*

57. *Oxalis glabra.*

*Oxalis caule erecto*, glabro; pedunculis unifloris; foliis ternatis; foliolis oblongis, emarginatis, glabris. *Linn. syst. pag. 433. Thunb. diff. num. 17. pag. 19. tab. 2.*

67. *Oxalis variabilis.*

*Oxalis purpurea* foliis totis viridibus, limbo albo. *Thunb. diff. num. 8. 1. p. pag. 13.*

70. *Oxalis purpurea*.

*Oxalis* scapis unifloris; foliis ternatis; foliolis subrotundis, ciliatis. *Linn. syst.*  
pag. 432. *Thunb. diff. num. 8. pag. 12.*

*Oxalidis* affinis planta bulbosa africana, flore purpureo magno. *Breyn. cent.*  
pag. 102. tab. 46.

*Oxys* bulbosa africana rotundifolia caulibus & floribus amplis purpureis. *Comm.*  
*hort. vol. 1. pag. 41. tab. 21.*

71. *Oxalis laxula*.

*Oxalis* purpurea foliis subtus purpureis; flore albo; pedunculis erectis. *Thunb.*  
*diff. num. 8. 2. γ. pag. 18.*

74. *Oxalis speciosa*.

*Oxalis* purpurea foliis subtus purpureis, supra immaculatis, minor. *Thunb.*  
*diff. num. 8. 2. α. pag. 13.*

78. *Oxalis natans*.

*Oxalis* scapis unifloris; foliis ternatis; foliolis obcordatis, glaucis. *Linn. syst.*  
pag. 432. *Thunb. diff. num. 4. pag. 9.*

81. *Oxalis lanata*.

*Oxalis* scapis unifloris; foliis ternatis; foliolis obcordatis, hirsutis. *Linn. syst.*  
pag. 432. *Thunb. diff. num. 6. β. pag. 10.*

82. *Oxalis punctata*.

*Oxalis* scapis unifloris; foliis ternatis; foliolis obcordatis, punctatis. *Linn.*  
*syst. pag. 432. Thunb. diff. num. 3. pag. 9. tab. 1.*

83. *Oxalis obtusa*.

*Oxalis* lanata. *Thunb. diff. num. 6. α. pag. 11.*

88. *Oxalis incarnata*.

*Oxalis* caule bulbifero; pedunculis unifloris; foliis ternatis; foliolis obcorda-  
tis, glabris. *Linn. syst. pag. 433. Thunb. diff. num. 15. pag. 18.*

*Oxys* bulbosa æthiopica minor, folio cordato, flore ex albido purpurascente.  
*Comm. hort. 1. pag. 43. tab. 22.*

89. *Oxalis bifida*.

*Oxalis* caule erecto, glabro; pedunculis unifloris; foliis ternatis; foliolis semibifidis. *Linn. syst. pag. 433. Thunb. diff. num. 16. pag. 18. tab. 1.*

90. *Oxalis longiflora*.

*Oxalis* scapis unifloris; foliis ternatis; foliolis semibifidis. *Linn. syst. pag. 432. Thunb. diff. num. 9. pag. 13.*

91. *Oxalis Acetosella*.

*Oxalis* scapis unifloris; foliis ternatis, foliolis obcordatis, pilosis. *Linn. syst. pag. 432. Thunb. diff. num. 5. pag. 9. & plurimorum aliorum autorum.*

*Oxys* scapo unifloro, radice squamosa articulata. *Hall. helv. num. 928. pag. 402. Allion. pedem. vol. 2. num. 1602. pag. 88. & plurimorum aliorum autorum.*

*Oxys* Pliniana. *Lob. ic. part. 2. 32.*

*Trifolium acetosum* vulgare, flore lacteo. *Bauh. pin. pag. 330.*

*Acetosella* vulgaris & officinarum. *Rupp. jen. pag. 127.*

93. *Oxalis flava*.

*Oxalis* foliis multifidis, glabris. *Linn. syst. pag. 434. Thunb. diff. num. 24. pag. 23. Burmanni synonyma omnia omitto, quum possint ex figura ejus & data valde brevi descriptione æque ad hanc quam ad alias affines pertinere.*

96. *Oxalis tomentosa*.

*Oxalis* foliis multifidis, hirtis. *Linn. syst. pag. 434. Thunb. diff. num. 25. pag. 24.*

*Oxys* parva africana, flore magno candicante, lupini foliis argenteo-sericeis. *Plukn. amalth. pag. 164. tab. 350. fig. 3.*

---

## DESCRIPTIONES OXALIDUM.

## I.

OXALIS PENTANTHA. *Tab. i.*

RADIX ramosa.

CAULIS sesquipedalis, teres, ramosus, pennam crassus columbinam; senior fuscescens, glaber; junior pubescens. Tales etiam rami.

FOLIA alterna, ad apices ramorum approximata, ternata. *Petiolus* basi non articulatus, gracilis, hirsutus, plus minus uncialis. *Foliola* obverse ovata vel ovalia, rotundata, ad oras villosa, utrinque punctata & pilis brevissimis hirtula, petiolata; lateralia sæpius emarginata; intermedium majus, longius petiolatum & plerumque integerrimum.

PEDUNCULI communes basi non articulati, axillares, solitarii, filiformes, hirsuti, foliorum longitudine, apice bis bifidi, quinqueflori; divisionibus brevissimis & singulis suffultis *bracteola* gemella lineari & hirsuta; *pedicellis* propriis inferne geniculatis.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, ad oras villosa, hirsutissima, erecta.

COROLLA calyce triplo longior, campanulata, superne patentissima, rotundata, lutea.

GENITALIA. *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* edentula, æqualia, pilis simplicibus hirsuta. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes. *Styli* brevissimi, glabri.

FLORET . . .

PATRIA. Caracas in America torrida.

*Obs.* Descriptio & figura factæ fuerunt ad specimina sicca ex Caracas adlata.



OXALIS RHOMBIFOLIA. *Tab. 2.*

RADIX ramosa.

CAULIS teres, villosus, sesquipedalis, pennæ columbinæ crassitudine, ramofus ; ramis hirsutis.

FOLIA alterna, vel ad intervalla ex eodem puncto aggregata plura, ternata. *Petiolus* ad basin non articulatus, gracilis, hirsutus, patulus, plus minus fescuncialis. *Foliola* subsessilia, subovato-rhombea, obtusula, integerrima, ad oras villosa, utrinque minutim villosula ; intermedium longius, plus minus unciale.

PEDUNCULI basi non articulati, filiformes, orti ex alis foliorum aggregatorum, hirsuti, umbelliferi ; cum *involucris* foliolis duobus oppositis, linearibus & hirsutis. *Pedicelli* bini vel terni, hirsuti, plerumque simplices & uniflori, rarius bifidi & biflori cum *bracteola* ad divisionem.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, ad oras villosa, hirsuta, erecta.

COROLLA calyce triplo longior, campanulata, superne patentissima, rotundata.

GENITALIA. *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* edentula, æqualia, pilis simplicibus hirsuta. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes. *Styli* longissimi, pilis simplicibus hirsuti.

FLORET . . .

PATRIA. Caracas in America torrida.

*Obs.* Descripta & delineata fuit ad specimina sicca ex Caracas adlata.

## 3.

## OXALIS PLUMIERI

RADIX ramosa.

CAULIS erectus, teres, pedalis.

FOLIA alterna; ternata. *Petiolus* teres, patens, duas tresve uncias longus. *Foliola* oblonga, obtusula, integerrima; intermedio longiori, sæpe plusquam unciali, petiolato.

PEDUNCULI axillares, solitarii, umbelliferi, patuli, plus minus longitudine foliorum. *Pedicelli* tres vel quatuor, simplices, breves.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta.

COROLLA calyce fere triplo longior, campanulata, lutea.

GENITALIA . . .

FLORET . . .

PATRIA. Insulæ caribææ. Guiana.

*Obs.* Descripsi ad solam Plumieri figuram, cum plantam ipsam videre non contigit. Ex hac autem manifestum esse, arbitror, differre illam ab Oxalidibus duabus prægressis non minus quam a subsequa Oxalide Barrelieri. Nomen triviale mutavi, quod *frutescens* erat Linnæo; nam Plumieri icon haud magis frutescentem plantam indicat, quam mea Barrelieri. Forte Plumierus frutescere illam dixit, comparatam cum aliis Oxalidibus tunc cognitjs. Certe si quis exemplar siccum Oxalidis videret Barrelieri, cum toto caule ramisque, sola radice excepta, næ ille, ex caule stricte erecto & inferne lignescentem indolem mentiente, fruticem pronuntiaret, nisi ex viva planta aliter edoctus fuisset. Sic mihi sese obtulerunt specimina sicca Oxalidum duarum priorum, quæ non minus tamen forte annuæ sunt. An datur Oxalis vere fruticosa? Huc usque negari potest.

Hujus Oxalidis, tum etiam num. 5. 6. 7. 8. & 11., determinationes specificas ipse non approbo; quas meliores dedissem, si vel siccas videre contigisset.

OXALIS BARRELIERI. *Tab. 3.*

RADIX ramosa, annua.

CAULIS villosulus, teres, calamum basi crassus, inferne fuscus, cæterum viridis, erectus, sesquipedalis, ramos inferne alternos emittens plurimos.

FOLIA alterna, ternata. *Petiolus* basi non articulatus, semiteres, autice sulcatulus, hirsutulus, unam alteramve unciam longus. *Foliola* oblonga vel ovata, obtusula, integerrima, facie glabra, subtus villosula, ad lentem & lucem punctatula, petiolata, uncialia; intermedio paulo majori & longius petiolata.

PEDUNCULI basi non articulati, axillares, solitarii, petiolis fere breviores, bifidi, racemosi cum flore solitario in dichotomia, multiflori ad pedicellos brevissimos *bracteolis* minutissimis instructi.

CALYCIS foliola lanceolata, acuminata, glabra, virentia, erecta.

COROLLA calyce duplo longior, superne patentissima, rotundata, glabra, carnea.

GENITALIA. *Filamenta* basi coalita in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta, cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Styli* filamentis interioribus longitudine æquales, pilis simplicibus hirsuti. *Stigmata* capitata, nec penicilliformia. *Capsula* ovata, alato-pentagona, acuta. *Semina* in quolibet loculamento plerumque gemina, ovata, acuta, rugosa, fusca.

FLORET apud nos in caldario a Majo ad Octobrim.

PATRIA. Caracas in America torrida. Guiana.

*Obs.* Primo vere sata, lætissime in caldariis nostris vegetat, semina largitur copiosa, sed difficillime colligenda, quia capsulæ ilico diffiliunt; & hyeme adveniente perit semper. Serius æstate sata, nonnunquam hyemem durat, proximoque vere flores producit, at semper in statu languido versatur. Stigmatibus capitatis, nec penicilliformibus, & stylis longitudine filamenta longiora præcise æquantibus, a plerisque congeneribus discrepat. Non video, cur Feuillei planta, quam mox sub Oxalidis roseæ titulo proponam, tantopere toto habitu ab hac Oxalide Barrelieri abludens, in systemate Linnæi editionis Murrayanæ potuerit ceu synonymum ejusdem adduci.

## 5.

## OXALIS ROSEA.

RADIX ramosa, annua.

CAULIS erectus, semipedalis, calamus crassus.

FOLIA alterna, ternata. *Petiolus* biuncialis, patulus. *Foliola* sessilia, obverse cordata, vix semunciam longa.

PEDUNCULI axillares, solitarii, erecti, superne divisi in ramos racemosos. *Pedicelli* breviusculi, uniflori.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, erecta.

COROLLA calyce fere triplo longior, campanulata. *Ungues* erecti. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, roseae cum lineolis sex rubris ex basi ad medietatem usque decurrentibus.

GENITALIA. . . . .

FLORET. . . . .

PATRIA. Chili in locis humidis.

*Obs.* Plantam nunquam vidi. Ex descriptione & figura Feuillei sunt, quae dixi.

## OXALIS CONORRHIZA.

RADIX perennis, turbinata, fibrillas capillares ex ambitu emittens, pollicem fere crassa superne, in apicem inferne desinens acutum, carnosa, foris ex fusco cinerascens.

CAULIS teres, erectus, subsquamosus, semuncialis, folia emittens ex summitate plura & plures simul ramos ceu totidem caules, erectos, teretes, graciles, villis albis obsitos, dilute virentes, plus minus novem uncias longos.

FOLIA alterna, ternata. *Petioles* plus minus sescunciales, patuli. *Foliola* sessilia, obverse cordata, dimidiam unciam longa.

PEDUNCULI axillares, solitarii, biflori vel uniflori, longitudine foliorum; cum *bracteolis* ad pedicellos proprios oppositis & acutis.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, erecta.

COROLLA calyce multoties longior, amplissima, rotundata, lutea.

GENITALIA. . . . *Capsula* membranacea, quinquelocularis, pluribus seminibus parvis feta.

FLORET. . . .

PATRIA. Paraguay in vasta planitie, quæ ad septentrionem est fluminis de la Plata.

*Obs.* Ex Feuillei figura & descriptione. Forte caulis brevissimus ille perennat. Nomen triviale a *κῶνος turbo* derivavi.

7.

## OXALIS CRENATA.

RADIX annua, fusiformis, fibrillis plurimis aucta, superne dimidium pollicem crassa, pallide virens.

CAULIS teres, bipedalis, ramosus, erectus, basi dimidium pollicem crassus, pallide virens, succo acido scatens.

FOLIA alterna, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, patulus vel erectiusculus, aliquot uncias longus. *Foliola* sessilia, obverse cordata.

PEDUNCULI axillares, solitarii, erectiusculi, plus minus longitudine foliorum, umbelliferi. *Pedicelli* plus minus octo, florentes erecti, antea cernui.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta.

COROLLA calyce triplo longior, campanulata, in limbi diametro æquans decem lineas, lutea cum striis interne purpureis; *laminis* crenatis.

GENITALIA. . .

FLORET. . .

PATRIA. Peruvia.

*Obs.* Descriptionem concinnavi ad figuram & verba Feuillei. Videtur tota glabra. Colitur passim in hortis Limæ, ubi in usum trahitur loco acetosæ.

## OXALIS DILLENII.

RADIX annua, ramosa, fibrosa.

CAULIS teres, erectus, ramosus, semipedalis, villosus.

FOLIA sparsa, ternata. *Petiolus* villosus, plus minus fescuncialis. *Foliola* sessilia, obverse cordata, supra glabra, subtus & ad oras villosa, ad margines averfa præsertim parte tineta tenui rubedine, vix dimidiam unciam longa.

PEDUNCULI axillares, pilis appressis obsessi, umbelliferi. *Involucris* foliolarum lanceolata, acuta, parva. *Pedicelli* plerumque gemini, subinde terni quaternive, graciles, ante florescentiam cernui, dein erecti, tandem in fructu reflexi.

CALYCIS foliolarum lanceolata, acuta, erecta.

COROLLA calyce fere triplo longior, lutea. *Laminæ* obverse ovate, emarginate, patentissimæ.

GENITALIA. *Antheræ* luteæ. *Capsula* anguste conica, quinquesulcata, villosa, erecta, fere uncialis. *Semina* subrotunda, candida, lucida.

FLORET in Europa Junio & Julio.

PATRIA. Carolina.

*Obs.* Plantam non vidi. Omnia ex Dillenio desumpti. Ab Oxalide corniculata multum certe differt, nec cum alia jungi posse videtur, cum ipse Dillenius ab Oxalide americana elatiore Tournefortii, quæ Oxalis stricta est, & quacum maximam affinitatem colit, specie separet.

## 9.

## OXALIS STRICTA. Tab. 4.

**RADIX** perennis, repens, teres, ad nodos fibris capillaribus aucta, ramosa.

**CAULES** ex repente radice in decursu suo plures, teretiusculi, graciles, villosuli, perpurascentes, tandem ramosi, semipedales & ultra, erecti, ob debilitatem suam sæpe dejecti, annui.

**FOLIA** alterna, nonnunquam pauca opposita, ternata. *Petiolus* basi ortus ex articulo antice marginato, teres, villosus, patens, a duabus ad quatuor uncias longus, flaccidus. *Foliola* subpetiolata, obverse cordata, utrinque pilis decumbentibus hirsutula & viridia, ciliata, vix semunciam longa.

**PEDUNCULI** axillares, basi articulati, teretes, villosi, erecti, plus minus foliorum longitudine, a duobus ad septem flores umbellatim gerentes, pedicello sæpe quodam ramoso; cum *involucris* foliolis plusculis, ciliatis & hirsutulis.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acutula, hirsutula, ciliata, pallide virentia, erecta.

**COROLLA** calyce duplo vel triplo longior, subcampanulata, lutea. *Ungues* erecti. *Laminae* obverse ovatae, obsolete emarginatae, patentissimae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in cylindrum connata. *Interiora* edentula, aequalia, superne paucissimis pilis capitatis donata, caeterum glabra. *Exteriora* glabra. *Antherae* oblongae, incumbentes, luteae. *Germen* oblongum, hirsutum, pallide virens. *Styli* subaequales, pilis simplicibus hirsuti. *Capsula* columnaris, acutula, hirsuta, pentagona cum angulis rectis.

**FLORET** apud nos Majo & subsequis.

**PATRIA.** Virginia, Jamaica, Pedemontium.



OXALIS CORNICULATA. *Tab. 5.*

RADIX ramosa, fibrosa, fuscescens, annua.

CAULES plures, in ambitu ex radice egressi, toti prostrati, undique radicantes, ramoli, graciles, teretes, villosi, sæpe purpurascens, tandem semipedales & ultra.

FOLIA alterna, ad radicantes caulium partes pauca aggregata, ternata. *Petiolus* basi ortus ex articulo antice bimarginato, teres, gracilis, villosus, purpurascens, erectiusculus, unam alteramve unciam longus. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, utrinque & ad oras villosula, fordide virentia.

PEDUNCULI axillares aut in ramis brevioribus terminales, basi brevissime articulati, teretes, villosuli, erecti, semunciales, umbellatim subbiflori; cum *involucris* foliolis geminis vel ternis, lanceolatis, acutis, villosis.

CALYCIS foliola lanceolata, obtusa, villosa, ciliata, erecta, pallide virentia.

COROLLA calyce duplo longior, subcampanulata, lutea. *Ungues* erecti. *Laminae* obverse ovatae, obtusae, patentissimae.

GENITALIA. *Filamenta* inferne in unum corpus coalita. *Interiora* edentula, aequalia, superne paucissimis pilis capitatis donata, caeterum glabra. *Exteriora* glabra. *Antherae* oblongae, incumbentes, luteae. *Germen* oblongum, minutissime villosum, pallide virens. *Styli* subaequales, pilis simplicibus hirsuti. *Capsula* columnaris, acuta, villosula, pentagona cum angulis undulatis.

FLORET aestate.

PATRIA. Hispania. Italia. Græcia. Littorale austriacum. Liguria. Helvetia. Japonia.

*Obs.* 1. Clarissimus Rothius in Flora Germanica Oxalidem corniculatam stirpibus Germaniæ adnumerat, citatque plures autores, qui de plantis Germaniæ scripserunt; additque, in Germania hanc Oxalidem fere semper observari erectam, nec decumbentem. Dum rem attente examino, inducor, ut credam, autores illos forte omnes loqui de Oxalide stricta, minime vero de corniculata. Strictam ego enim semper vidi erectam, nisi casu a ventis aut ab alia vi illata, debilis cum sit, dejiciatur. Corniculatam autem semper vidi procumbentem totam, caulium ramorumque vel apicibus ipsis terræ stricte appressis, uti fieri in stolonibus Fragariæ solet. Soli dumtaxat ramuli brevissimi florentes eriguntur. Sic prostratam semper in Græcia observavit Sibthorpius; in rupestribus maritimis circa Fiume Hostius; per totam Siciliam, circa Neapolim, inque ipsis Romæ plateis filius meus. Conjecturam hanc meam confirmare videtur tabula octingentesima septuagesima tertia Floræ Danicæ. Hæc in textu dicitur representare Oxalidem corniculatam Linnæi, cujus Oxalidem potius sistit strictam, nec

hanc optime. Perperam enim filamenta delineantur duodecim, omnia ferme æqualis altitudinis; tum stylus unicus cum stigmate quinquesido; pedunculi omnes tantum biflori; tandem corollæ & folia in statu plantæ dormientis, aut qualia esse solent cœlo pluvioso vel nebuloso; nam foliola tam in hac quam in aliis Oxalidibus cordatifoliis, radiante sole, in planam faciem expanduntur, quantumvis eorundem retroflexio ab aliquot autoribus ceu naturalis adnotetur. Oxalidis etiam corniculatæ hujus ampla descriptio apud Pollichium in *Historia plantarum Palatinatus* vol. 1. pag. 442. in Oxalidem strictam Linnæi apte quadrat, non vero in hujus corniculatam. Interea nihil decido; rem dijudicent autoptæ Germani. Dignoscuntur autem facillime ab invicem, quod in stricta radix perennis repat, caulis nunquam; & quod ex adverso in corniculata semper reptet caulis, nunquam vero radix, quæ annua est.

*Obs. 2.* Ad quamnam Oxalidis speciem pertineat Oxys lutea indica Rumphii amb. vol. 6. p. 277, dicta in *Thesauro Burmanni zeylanico* pag. 179. & in *Breynii Prodromo* 2. pag. 88. Oxys flore luteo vulgaris minor zeylanica, ego facile non pronuntia-verim. Rumphius ait, illam longis ac tenuibus flagellis in terra prorepere, atque in quibusdam locis radículas emittere & sese firmare; loca amare saxosa, præsertim lapidum coctorum vel comminutorum ex vetustis muris; nullibi, quantum scit, esse in Amboinensibus insulis sylvestrem ac spontaneam, sed in arvis cultis & hortis crescere tam sponte quam per semen; Batavos imprimis illam istic colere in hortis, ut aliis admisceatur oleribus, & acida ex ea præparentur condimenta; invenisse se illam anno 1653. in Promontorio bonæ spei ad pedem montis Leonum, ubi magna copia colligebatur & ad naves deferebatur, ut cum aliis herbis in olus coqueretur; se non describere, quia a Clusio jam descripta & delineata est. Hæc Rumphius. Nunc audiamus Thunbergium, qui dicit, Oxalidem repentem suam crescere prope urbem Cap locis aquosis & in hortis; crescere quoque illam in Zeylona. Idem inter Oxalides Capenses corniculatam excludit. Nunquid igitur omnino verisimile est, Oxalidem Rumphii & Burmanni citatam esse repentem Thunbergii, forte simul corniculatam Linnæi & Clusii. Certe habitus utriusque omnino idem est; ipsa genitalia quoque eadem, scilicet styli utrobique sunt filamentis interioribus pauxillo breviores, in repente quidem manifestius, sed hos in unico flore exsiccato speciminis Thunbergiani examinare rite licuit. In eodem autem specimine omnes pedunculi sunt simplices & uniflori, quales etiam in *Dissertatione* pag. 6. specificè determinantur, qui in *descriptione* pag. 17. tamen dicuntur etiam biflori. In corniculata mea pedunculos observo plerosque bifloros, rarius unifloros aut trifloros. Solvere hoc dubium Thunbergius poterit.

*Obs. 3.* Sloaneus Oxalidem quandam Jamaicensis sine ulla descriptione & sine titulo proprio male proposuit sub synonymis Oxalidis corniculatæ; & dein alii æque male hisce synonymis adjecerunt Sloaneum. Hunc Sloanei errorem jam Browneus correxit, qui plantam Sloanei traduxit ad Oxalidem strictam. Burmannus in *Thesauro zeylanico* habet etiam Rumphii Oxalidem; cujus synonymum esse vult Trifolium filiquosum rotundifolium glabrum floribus luteis Pluknetii phyt. tab. 231. fig. 4.; sed hoc foliolo intermedio duplo majori, stipulis ad petiolos rameis, & floribus in pedunculo communi sessilibus, quam maxime diversum est ab Oxalide corniculata, & forte est papilionacea quædam planta.

## II.

## OXALIS REPENS. Tab. 78. fig. 1.

RADIX fibrosa, gracilis, ramosa.

CAULES radicales, plures, herbacei, filiformes, prostrati, radicantes, foliosi, villosi, purpurascens, aliquot uncias longi; ramulis alternis, cauli similibus.

FOLIA alterna, ternata. *Petiolus* basi articulatus & latefcens, femiteres, villosus, viridis, erectiusculus, femuncialis aut longior. *Foliola* obverse cordata, sessilia, ciliata, supra glabra, subtus villis rarissimis adspersa, minuta.

PEDUNCULI axillares, basi articulati, uniflori vel biflori, teretes, villosi, graciles, erectiusculi, virides; cum *bracteolis* circa medium oppositis, articulantibus, villosis.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, hirsutula, rariter ciliata, erecta.

COROLLA calyce triplo longior, campanulata. *Ungues* erecti, pallidi. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, patentissimae, flavae.

GENITALIA. *Filamenta* basi connata, glabra. *Interiora* edentula, aequalia. *Antherae* oblongae, incumbentes, flavae. *Germen* lineare, hirsutum. *Styli* subintermedii, pilis simplicibus hirsuti. *Stigmata* obsolete penicilliformia.

FLORET. . . .

PATRIA. Promontorium bonae spei. Madagascar. Zeylon.

*Obs.* Ad plantam siccam Thunbergii ejusque descriptionem.

## I 2.

## OXALIS MEGALORRHIZA:

**RADIX** perennis, teres, uncialis diametri, plus minus octo uncias longa, multiceps, inferne in crura ramosa divisa, rimosa, duplici cortice vestita; exteriore tenuissimo & ex cinereo fuscescente; interiore duas lineas crasso, rubro, aquoso & saporis acris. Caro ipsa radice est alba, aquosa, ejusdem cum cortice interiore saporis, & percursa fibris rubris a centro ad peripheriam pergentibus.

**FOLIA** radicalia, plura, ternata. *Petiole* erectiusculi, triunciales. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, vix dimidiam unciam longa, supra læte virentia, subtus pulchre violacea.

**SCAPI** erectiusculi, plusculos flores umbellatos gerentes, longitudine foliorum.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, erecta.

**COROLLA** calyce triplo longior, campanulata, lutea, inferne in quolibet petalo tribus lineis rubris percursa.

**GENITALIA**, . . . . .

**FLORET**, . . . . .

**PATRIA**, Peruvia in montibus.

*Obs.* Ex figura & descriptione Feuillei. Planta singularis ob molem radice, cujus capita fere totidem cauliculos suffruticosos mentiuntur.

**OXALIS SERICEA.** *Tab. 77. fig. 1.*

**BULBUS** profunde infidens.

**STIPES** exsertus, villosus, una alterave squamula munitus, subuncialis, in umbellam foliorum scaporumque terminatus.

**FOLIA** plura, ternata. *Petiolus* ex latiore nec articulata basi ortus, hirtus, plus minus uncialis. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, latiora quam longa, parum ciliata, supra virentia cum circulo rubro & pilis albis hirta; subtus tomentosa, purpurea, vel argentea, vel argenteo-purpurea.

**SCAPI** plures, hirti, umbelliferi, erecti, foliis duplo longiores. *Pedunculi* a duobus ad quinque, uniflori, intermedii breviores, cernui; singuli ad ortum suffulti *bracteolis* duabus, ovatis, hirtis.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, hirta, ciliata.

**COROLLA** calyce duplo longior, flava.

**GENITALIA.** *Filamenta* ad basin levissime connata, ut fere libera, glabra. *Interiora* denticulata, æqualia. *Antheræ* incumbentes. *Germen* longum, hirsutum. *Styli* intermedii, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET.** . . .

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Ad specimen siccum & descriptionem Thunbergii.

## 14.

## OXALIS VIOLACEA. Tab. 80. fig. 2.

**BULBUS** ex subrotundo ovatus, tunica nigrescente tectus, avellenæ magnitudine vel minor, valde prolifer, constans squamis carnosis albidis & una alterave linea rubra percursis.

**STIPITES** plures, ex basi bulbi inter squamas orti, subterranei, teretes, graciles, glabri, albi, squamis destituti, singuli in unicum folium vel scapum abeunt.

**FOLIA** plura, ternata. *Petiolus* non articulatus, teres, rariter pilosus, viridis, inferne sæpe purpurascens, erectiusculus, debilis, a tribus ad sex uncias longus. *Foliola* brevissime petiolata, latius obverse cordata, ad oras villosula, utrinque glabriuscula punctatula & virentia, tres quartas unciae partes longa.

**SCAPI** petiolis omnino similes, simpliciter umbelliferi, aut primo bifidi cum pedunculo unifloro in dichotomia & dein utrinque umbelliferi. *Involucri* monophylli & bifidi lacinae lanceolatae, acutae, oppositae, glabrae, roseae. *Pedunculi* a tribus ad novem, basi articulati, teretes, pilosuli, semunciales vel longiores, in floribus clausis cernui, in expansis erecti; cum *bracteolis* inferne suboppositis & villosulis.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acutula, erecta, ciliata, hirsutula, pallide viridia, subtus infra apicem duobus callis oblongis aurantiacis, rarius unico, donata.

**COROLLA** calyce triplo longior, campanulata. *Ungues* flavescentes. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, ex violaceo purpureae, striatae, patentissimae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi coalita in unum corpus. *Interiora* gibbose denticulata, aequalia, pilis simplicibus hirsutissima. *Exteriora* glabra. *Antherae* oblongae, incumbentes, albidae. *Germen* oblongum, ex viridi pallens, hirsutum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsutuli.

**FLORET** apud nos totam aetatem.

**PATRIA.** Virginia.

*Obs.* Bulbus nonnunquam radices carnosas digitumque crassas generat. Possunt stipites etiam ceu sola petiolorum scaporumque pars considerari infima, quo in casu ripes in hac planta plane desideraretur.

**OXALIS CAPRINA.** *Tab. 76. fig. 1.*

**BULBUS** ovato-triangularis, lævis.

**STIPES** subterraneus, umbella foliorum scaporumque terminatus.

**FOLIA** plura, ternata. *Petiolus* basi articulatus, canaliculatus, glaber, duas tresve uncias longus. *Foliola* obverse cordata, semibiloba, sessilia, supra virentia, subtus læte purpurea, glabra, unam tertiam unciae partem longa, lobis oblongis & rotundatis.

**SCAPI** plures, glabri, erecti, graciles, semipedales, umbelliferi. *Involuti* foliola pauca, acuta, minuta, glabra. *Pedunculi* a duobus ad quatuor, uniflori, villosuli, erecti, plus minus unciales.

**CALYCIS** foliola lanceolato-oblonga, acutula, striata, glabra, versus apicem ciliatula, virentia cum marginibus rubris, subtus ad apicem callo flavo notata.

**COROLLA** calyce triplo longior. *Laminae* oblongae, obtusae, crenulatae, patentes, caeruleae vel incarnatae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* gibbose denticulata, inaequalia, pilis simplicibus hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* aequalia, similiter hirsuta. *Antherae* incumbentes, flavae. *Styli* brevissimi, similiter hirsuti.

**FLORET.** . . .

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

*Obs.* Vivam non vidi. Descriptam exhibeo ad exemplar siccum Thunbergii ejusdemque descriptionem.

## OXALIS CERNUA. Tab. 6.

**BULBUS** acuminato-ovatus, glaber, tunica fusca tectus, major novem lineas longus.

**STIPES** exsertus, modo parum, modo ad unam alteramve unciam, sæpe procumbens, teres, pennam columbinam crassus, glaber, paucisquamofus; umbella foliorum florumque terminatus; longior etiam in decursu alias umbellas foliosas simulque bulbiferas emittens. Sine interruptione dein ex bulbo egreditur, varia directione terram penetrat, & format nunc fibram radicalem filiformem, vel & capillarem, aliquot uncias longam, fibrillis auctam, inque toto suo decursu bulbillos generantem.]

**FOLIA** plura, ternata, glabra. *Petiolus* articulatus basi, teres, viridis, erectiusculus, a tribus ad septem uncias longus. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, latiora quam longa, sæpe subbiloba, immaculata, a duabus ad tres unciae quartas partes longa.

**SCAPI** pauci, ad basin articulati, teretes, virides, erecti, sæpe vel pedales, umbelliferi. *Involucris* foliola pluscula, lanceolato-linearibus, acuta, brevibus. *Pedunculis* plures ad septemdecim, teretes, plus minus semunciales, villosuli, in floribus clausis cernui; in iisdem expansis erecti.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acutula, erecta, rariter hirsutula, virentia cum oris albidis.

**COROLLA** calyce quintuplo longior, campanulata. *Ungues* erecti, pallide flavi. *Laminae* amplissimae, obverse ovatae, rotundatae, patentissimae, luteae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata. *Interiora* denticulata, aequalia, glabra. *Exteriora* glabra. *Antherae* oblongae, incumbentes. *Germen* cum vire pallens, hirsutum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Februario.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

*Obs.* Hæc in horto Kewensi colitur sub titulo Oxalidis caprinæ; sic etiam in aliis hortis Europæis; & ex Linnæi observatione, Speciebus suis subjecta, videtur etiam esse caprina Linnæi. Thunbergius autem hanc ob flores clausos cernuos cernuam vocavit; & præcedentem caprinam, quem secutus sum.



## OXALIS DENTATA. Tab. 7.

**BULBUS** oblongus, semunciam longus, tunica friata fusca tectus.

**STIPES** ad uncialem longitudinem subterraneus; dein exsertus, ab unica ad quatuor uncias longus, teres, glabriusculus, ex purpureo fuscescens, penna columbina gracilior, paucisquamofus, plerumque<sup>\*</sup> aphyllus, rarissime superne folia auctus, erectiusculus vel declinatus; umbella foliorum florumque terminatus.

• **FOLIA** plura, erecta, & patula, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, ad lentem obsolete hirsutus, duas tresve uncias longus. *Foliola* subpetiolata, bilobato-obcordata, utrinque punctata, facie glabra & virentia, ad oras non ciliata, subtus eleganter & nitidissime violacea & ad lentem tautisper hirsutula, dimidiam unciam lata, nec tam longa.

**SCAPI** pauci, basi articulati, uniflori, teretes, parum hirsutuli, erectiusculi, foliis paulo longiores; cum *bracteolis* oppositis articulantibus supra medium.

**CALYCIS** foliola oblonga, acutula, virentia cum oris rubris, ad oras & in dorso pilis capitatis simplicibusque mixtis hirsuta, quaedam nec omnia denticulo uno alterove superne aut inferne incisa, infra apicem duobus callis oblongis aurantiacis notata, erecta.

**COROLLA** calyce quadruplo longior, ex purpureo violacea, foris magis pallens, campanulata, superne patentissima & ampla.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis simplicibus capitatisque hirsuta cum denticulo glabro. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Styli* longissimi, pilis capitatis simplicibusque hirsuti.

**FLORET** apud nos Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

## 18.

## OXALIS LIVIDA. Tab. 8.

**BULBUS** ovatus, semunciam longus, tunica striata fusca tectus.

**STIPES** partim subterraneus & ab una ad tres uncias longus ; partim exsertus, duas tresve uncias longus, teres, fere pennam columbinam crassus, glaber, aphyllus, erectus, in umbellam terminatus foliorum plurimorum scaporumque paucissimorum, dein supra hanc elongatus & desinens in aliam umbellam foliosam.

**FOLIA** plura, ternata, patula, *Petiolus* basi articulatus, teres, antice sulcatus, gracilis, ad lentem parce villosus, cum rubore lividus, plus minus biuncialis. *Foliola* brevissime petiolata, obverse cordata, fere semibiloba, utrinque punctata, vix semunciam longa lataque ; supra glabra & livide virentia ; subtus elegantissime & saturatissime ex-livido violacea, paucissimisque pilis albis decumbentibus hirsutula.

**SCAPI** paucissimi, sæpe unicus, basi omnium brevissime articulati, umbellatim biflori, teretes, ad lentem obscure villosuli, petiolis crassiores & longiores, lividi, patuli ; cum *bracteolis* sub umbella duabus oppositis lanceolatis acutis & parvis. *Pedicelli* unciales, non articulati, villosuli, recti, purpurascens ; cum *bracteolis* propriis ad ipsam basin singuli oppositis duabus minutissimis.

**CALYCIS** foliola lanceolata, obtusula, viridia cum oris purpureis, pilis simplicibus capitatisque ad oras & in dorso vestita, infra apicem subtus lineolis quatuor oblongis aurantiacis insignita.

**COROLLA** calyce quadruplo longior. *Ungues* erecti, flavescentes. *Laminae* rotundato-cuneiformes, patentissimæ, carneæ, cum altero latere dorsali villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis simplicibus & capitatis hirsuta cum denticulis paucipilosis. *Exteriora* glabra. *Antheræ* oblongæ, incumbentes, flavæ. *Germen* pallide virens, superne hirsutum. *Styli* intermedii, pilis simplicibus capitatisque hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

OXALIS COMPRESSA. *Tab. 78. fig. 3.*

RADIX. . . . .

STIPES subterraneus, in umbellam foliorum scaporumque terminatus.

FOLIA plurima, ternata. *Petiolus* linearis, compresso-alatus, inæqualis, ciliatus, plus minus uncialis. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, ciliata; supra glabra & virentia, subtus hirsuta & albida; unam tertiam unciae partem longa.

SCAPI plures, teretes, hirsuti, biflori, erecti, biunciales. *Involucris* foliola duo, opposita, lanceolata, acuta, hirsuta. *Pedunculi* vix semunciales, hirsuti, erecti.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, erecta, hirsuta.

COROLLA calyce quadruplo longior, campanulata, lutea.

GENITALIA: *Filamenta* ad basin connata, glabra. *Interiora* denticulata, æqualia. *Antheræ* oblongæ, incumbentes. *Germen* hirsutum, longitudine staminum. *Styli* longissimi, pilis simplicibus hirsuti.

FLORET. . . . .

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Ad specimen siccum & descriptionem Thunbergii.

## OXALIS BURMANNI.

**BULBUS** oblongus.

**STIPES** subterraneus, in umbellam foliorum scaporumque terminatus.

**FOLIA** plurima, digitata. *Petiolus* duas tresve uncias longus. *Foliola* sex vel quinque, lanceolata, glabra, crassa, succulenta, integerrima, sessilia, acida, viridia, in orbem disposita.

**SCAPI** plures, spithamales, glabri, erecti, umbelliferi. *Pedunculi* plures, florentes erecti, antea cernui.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, erecta.

**COROLLA** calyce quintuplo longior, campanulata, lutea.

**GENITALIA:** . . .

**FLORET.** . . .

**PATRIA:** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Linnæus cum Oxalide cernua conjunxit, a qua videtur ob folia quam maxime diversa. Descriptionem mutuavi ex Burmanno:

## 21.

## OXALIS SENSITIVA. Tab. 78. fig. 4.

RADIX fibrosa, fusca.

STIPES exsertus, teres, pennam columbinam plus minus crassus, a dimidia ad sex uncias altus, inferne obsolete articulatus, ex rubro vel fusco & viridi variegatus, medulla alba farctus, in umbellam foliorum florumque densam terminatus.

FOLIA numerosa, abrupte pinnata, patula. *Costa* hirsuta, sæpe superne glabra, a duabus ad quinque uncias longa. *Foliola* utrinque ab octo ad quindecim, sessilia, opposita, oblonga, obtusissima cum exiguo mucrone innocuo, pleraque glaberrima, quædam subtus rariter pilosa, integerrima, a duabus ad quatuor lineas longa, juniora ex flavo virentia, adulta superne glauca & inferne purpurea.

SCAPI plurimi, villosuli, erectiusculi, foliis paulo longiores, umbelliferi. *Involucris* foliola plura, subulata, villosa. *Pedunculi* ut plurimum septem vel octo, uniflori, breves.

CALYCIS foliola lanceolato-acuminata, villosa, erecta.

COROLLA lutea.

GENITALIA. *Filamenta* decem, ad basin usque libera, nec connata, subulata, edentula, pilis simplicibus hirsuta, erecta; quorum quinque alterna triplo longiora. *Antheræ* incumbentes. *Germen* ovatum, superne hirsutulum. *Styli* intermedii, glabri. *Stigmata* bifida, nec penicilliformia.

FLORET. . . .

PATRIA. Malabaria. Zeylona. Moluccæ. Et alibi in India orientali.

*Obs.* Folia ad levissimum tactum sese contrahunt. Ad plura specimina sicca & ad Rumphium descriptionem concinnavi.

**OXALIS MACROSTYLIS.** *Tab. 9.*

**BULBUS** ovatus, tunica ferruginea nitida tectus, avellanæ magnitudine.

**CAULIS** teres, hirsutus, purpurascens, gracilis, ramosulus, a sex ad novem uncias altus, erectiusculus.

**FOLIA** subsessilia, sparsa, approximata, patentissima, ternata. *Foliola* subsessilia, lineari-cuneiformia, obtusa, integerrima vel levissime emarginata, utrinque punctata, ad oras villis minutis ciliata, supra glabra, subtus hirsutula & callis pallide aurantiacis undique sine ordine sparsis notata, semiuncialia.

**PEDUNCULI** basi non articulati, uniflori, axillares, solitarii, teretes, villosi, erectiusculi; alterni biunciales; cum *bracteolis* subalternantibus paulo infra calycem.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, ciliata, hirsutula, pallide virentia, erecta.

**COROLLA.** *Ungues* intus flavescens, foris ex flavo sordentes & ad lentem villosuli, erecti, sese amplexando tubum formantes cylindricum fere uncialem. *Laminae* oblongæ, obtusæ, patentissimæ, purpureo-rubrae, subtus magis pallentes cum altero latere flavescens, unguibus fere triplo breviores.

**GENITALIA** pilis simplicibus hirsuta. *Filamenta* basi in unum corpus conata. *Interiora* edentula, æqualia. *Antheræ* oblongæ, didymæ, erectæ, luteæ. *Germen* oblongum, superne villosum, cum virore pallens, callosum. *Styli* longissimi, quam maxime extra tubum corollæ exserti.

**FLORET** apud nos Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

**OXALIS TUBIFLORA. Tab. 10.**

**BULBUS** subrotundus, tunica fuscescente tectus, avellanæ magnitudine vel major.

**CAULIS** teres, valde hirsutus, fere totus foliosus, rarissime ramulo auctus, semipedalis, erectiusculus, debilis, penna columbina duplo gracilior.

**FOLIA** alterna, subsessilia, patentissima, ternata. *Foliola* lineari-lanceolata, acutula, integerrima, utrinque virentia & ad lentem punctata, ad oras villis ciliata, supra glabra, subtus hirsuta & callis bene conspicuis destituta, vix semuncialia.

**PEDUNCULI** basi non articulati, uniflori, axillares, solitarii, teretes, hirsuti, fere caulis crassitudine, biunciales, erectiusculi, alterni, pallidi; cum *bracteolis* approximate alternantibus infra calycem.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acutula, ciliata, villosa, pallide virentia cum oris sanguineis, erecta.

**COROLLA.** *Ungues* intus flavescentes, foris sordentes & villosi, erecti, sese amplexando tubum formantes cylindricum & uncialem. *Laminæ* obverse ovatæ, acutulæ, patentissimæ, unguibus plus quam duplo breviores, intus purpureo-rubræ, foris paulo pallidiores cum altero latere sordide flavescente & villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* in unum corpus coalita, capillaria, pilis simplicibus hirsutula. *Interiora* edentula, inæqualia, longissima, extra tubum corollæ exserta. *Exteriora* sæpius inæqualia. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Styli* brevissimi, glabri.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

**OXALIS CANESCENS.** *Tab. 11.*

**BULBUS** subrotundus vel ovatus, modo piselli, modo avellanæ magnitudine, squamis parumper solutis, exterioribus fuscis, interioribus albidis & miniato-punctatis.

**CAULIS** teres, villosus, penna columbina duplo gracilior, erectus, semipedalis, basi squamulosus, aut simplicissimus, aut ex alis foliorum ramosus.

**FOLIA** alterna, brevissime petiolata, approximata, ternata. *Foliola* subsessilia, cuneiformia, rotundata, emarginata, ad oras villis ciliata, supra glabra & punctatula, subtus hirsuta & callis plurimis sparsis sed obscure conspicuis obsita, semuncialia.

**PEDUNCULI** basi non articulati, uniflori, axillares, solitarii, erecti, alterni, villosi, pallide virentes, semunciales; cum *bracteolis* alternantibus approximatis infra calycem.

**CALYCIS** foliola oblonga, acutula, erecta, ciliata, hirsuta, virentia cum lineolis duabus aurantiacis ab apice descendentes.

**COROLLA.** *Ungues* calyce triplo longiores, erecti, intus flavi, foris pallide sordentes & villosi, mutuo amplexando tubum formantes cylindricum. *Laminæ* obverse subovatae, rotundatae, patentissimae, unguibus fere duplo breviores, intus ex roseo purpurascens, foris pallidiores & ad alterum latus villosulae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata, raris & brevibus villis hirsuta. *Interiora* edentula, æqualia. *Antheræ* incumbentes, flavæ. *Germen* oblongum, cum virore pallens, striis longitudinalibus aurantiacis insignitum, superne hirsutum. *Styli* brevissimi, villosuli.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.



## OXALIS SECUNDA. Tab. 12.

**BULBUS** subrotundus, tunica fusca tectus, avellana major.

**CAULIS** teres, pennam columbinam crassus, villosissimus, fuscescens, tantum inferne squamulosus & aphyllus, debilis, plus minus pedalis, ad aliquot uncias erectus, dein totus magis minusve reclinatus, ex plerisque foliis infra flores auctus ramulis axillaribus erectis tandemque semipedalibus sed vix florigeris.

**FOLIA** alterna, approximata, brevissime petiolata, ternata. *Foliola* subsessilia, cuneiformia, obtusa, ob reflexum apicem visa emarginata, utrinque virentia & ad lentem punctatula, ad oras villis ciliata, supra glabra, subtus hirsutula & ad lentem plurimis callis sparsis fordide aurantiacis obsita, vix semuncialia.

**PEDUNCULI** basi non articulati, uniflori, axillares, solitarii, teretes, villosi, longitudine foliorum, ratione horizontis erecti; cum *bracteolis* oppositis calyci directe subjectis.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, ciliata, villosa, pallide virentia, erecta.

**COROLLA** rubroviolacea. *Ungues* erecti, foris villosi, sese amplexando tubum formantes cylindricum uncialem. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, glabrae, patentissimae, unguibus triplo breviores.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi coalita in unum corpus, glabra. *Interiora* edentula, inaequalia. *Antherae* oblongae, basi bifidae, erectae, luteae. *Germen* gracile, glabrum, cum virore pallens, callosum. *Styli* intermedi, pilis simplicibus rarisque hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

## 26.

OXALIS HIRTA. *Tab. 13. et Tab. 77. fig. 3.*

**BULBUS** subrotundus, tunica fusca tectus, avellanæ magnitudine.

**CAULIS** teres, gracilis, inferne glaber, cæterum villosulus, plus minus octo uncias longus, ex fusco purpurascens, debilis, flaccidus, hinc modo erectiusculus, modo decumbens vel ascendens, ex foliorum alis ramulos vix florentes emittens.

**FOLIA** alterna, omnium brevissime petiolata vel subsessilia, ternata. *Foliola* cuneiformia, subsessilia, obtusa, integerrima vel levissime emarginata, ad ora villosa, facie glabra, dorso hirsuta & ad lentem plurimis callis flavescensibus sparsis insignita, plus minus semuncialia.

**PEDUNCULI** basi non articulati, axillares, solitarii, alterni, filiformes, uniflori, villosuli, pallide purpurascens, biunciales, patentes, flaccidi; cum *bracteolis* alternantibus supra medium.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuminata, villosula, erecta, pallide purpurascens.

**COROLLA** calyce multoties major. *Ungues* erecti, flavi. *Laminae* cuneiformes, rotundatae, unguibus longiores, patentissimae, glabrae, fere colore laccae florentinae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* edentula, æqualia, pilis capitatis, hirsutula. *Exteriora* glabra. *Antherae* incumbentes, luteae. *Germen* brevissimum, cum virore pallens, superne hirsutum, callosum. *Styli* longissimi, pilis simplicibus hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Culta hirsutiem valde exuit, quæ in sylvestri tab. 77. fig. 3. maxima est. Oxyn bulbosam africanam, flore purpureo foliis pilosis, pediculis privis Seb. thes. vol. 1. pag. 37. tab. 22. fig. 11., quam tamen floribus luteis pingit, ut dubiam adeoque plantam in synonymia hujus omisi, licet ab aliis autoribus huc reductam.

**OXALIS HIRTELLA.** *Tab. 14.*

**BULBUS** subrotundus, tunica fusca vestitus, avellanæ magnitudine.

**CAULIS** teres, hirsutus, plerumque simplicissimus, erectiusculus, debilis, gracilior, virescens, plus minus octo uncias longus, basi squamosus.

**FOLIA** alterna, brevissime petiolata, ternata. *Foliola* anguste lanceolata, acutula, integerrima, vix punctata, utrinque viridia, supra glabra, subtus hirsutula & ad lentem callis minutis fusco-luteolis numerosis obsita, ad oras villosa, subsessilia, reflexo-patentissima, semuncialia aut paulo longiora.

**PEDUNCULI** basi non articulati, uniflori, axillares, solitarii, alterni, teretiusculi, villosi, pallidi, flaccidi, quadriunciales; cum *bracteolis* alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, obtusula, hirsuta, ciliata, erectiuscula, pallide virentia, idque modo sine ullis maculis, modo superne & inferne cum maculis aurantiacis, & ad oras utrinque cum macula unica fuscescente.

**COROLLA** calyce quadruplo aut quintuplo longior. *Ungues* erecti, flavescens, longitudine calycis. *Laminæ* obverse ovatae, rotundatae, amplae, patentissimae, facie pallidissime violaceae, dorso pallidae cum latere altero sordide flavescens & villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulato-gibbosa, inæqualia, pilis capitatis rariter hirsuta. *Exteriora* etiam sic hirsuta. *Antheræ* incumbentes, luteae. *Styli* longissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

## OXALIS MULTIFLORA. Tab. 15.

**BULBUS** subrotundus, avellana major, tunica fuscescente vestitus; compositus ex squamis carnosis, crassissimis, ovato-acuminatis, solutis, ceu totidem bulbillos formantibus; hinc lobatus.

**CAULIS** teres, erectiusculus, debilis, villosulus, ex purpureo fuscescens, pennam columbinam crassitie æquans vel duplo gracilior, a dimidio ad pedem altus, ramosus.

**FOLIA** alterna, ternata, patentissima, omnino numerosa, subsessilia. *Foliola* cuneiformia, subsessilia, obtusa, integerrima, ob apicem medium sæpe reflexum emarginationem mentientia, subtus & ad oras hirsuta, facie glabra, semuncialia aut duplo breviora.

**PEDUNCULI** uniflori, axillares, solitarii, ad basin articulati, teretes, villosi, flaccidi, duas tresve uncias longi, graciles, pallidi; cum *bracteolis* alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, hirsuta, ciliata, erecta, virentia cum oris albidis.

**COROLLA** calyce quintuplo longior, campanulata. *Ungues* erecti, flavi, calyce duplo longiores. *Laminae* obverse ovatae, obtusae, amplae, patentissimae, violaceae & modo in purpureum modo in caeruleum magis vergentes, cum altero latere dorsali sordide flavescente & ad lentem villosulo.

**GENITALIA** pilis simplicibus hirsuta. *Filamenta* basi in unum corpus coacta. *Interiora* edentula, inæqualia. *Exteriora* æqualia. *Antherae* oblongae, incumbentes, luteae. *Germen* pallide virens, superne hirsutissimum, callosum. *Styli* brevissimi.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Habueram antea hanc plantam pro varietate Oxalidis hirtæ; sub quo titulo specimen depingitur maximum in Iconibus meis stirpium rariorum, dum hic sistitur minus & ramosius.

## OXALIS RUBELLA. Tab. 16.

**BULBUS** ovatus, acutus, magnitudine avellanæ, tunica ferruginea vestitus, solutus.

**CAULIS** teres, gracilis, hirsutulus, ramosus, debilis, hinc raro vere erectus, basi squamosus, ex purpureo fuscus, plus minus semipedalis.

**FOLIA** alterna, ternata, infima breviter petiolata, reliqua subsessilia. *Foliola* subsessilia, subcuneiformia, rotundata, integerrima, parumper conniventia, supra glabra, subtus & ad oras hirtula, semuncialia.

**PEDUNCULI** axillares, solitarii, uniflori, ad basin brevissime articulati, teretes, villosuli, flaccidi, pallidi, plus minus biunciales; cum *bracteolis* alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, ciliata, hirsuta, erecta, virentia cum oris inferne purpureis.

**COROLLA** calyce multoties longior, subcampanulata. *Ungues* erecti, calyce duplo longiores, flavi. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, patentissimae, supra purpureae, subtus ex purpureo pallentes cum altero latere flavescente & villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata. *Interiora* edentula, inaequalia, pilis capitatis hirsuta. *Exteriora* glabra. *Antherae* oblongae, incumbentes, flavae. *Germen* ex viridi pallens, superne hirsutum, callosum. *Styli* intermedii, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos ab Octobri ad Decembrim.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

*Obs.* Oxalidem hirtam credebam antea; sub quo titulo in Iconibus stirpium rariorum extat figura plantae, foliis floribusque majoribus, & his quidem ruberrimis, donatae. Aliud specimen hic depingitur; sic enim variare planta apud nos solet.

## 30.

OXALIS ROSACEA. *Tab. 17.*

**BULBUS** subrotundus vel ovatus, tunica fusca tectus, avellana minor.

**CAULIS** teres, gracilis, hirsutissimus, ad medium usque aphyllus & squamis minutis vagis instructus, rarius superne ramulo axillari & florifero auctus, debilis, prostratus, in summitate assurgens, semipedalis aut etiam fere pedalis.

**FOLIA** brevissime petiolata, alterna, ternata, summa in rosulam densam & incanam aggregata. *Foliola* subsessilia, lanceolata, acuta, integerrima, reflexo-patentissima, viridia, ad oras villis ciliata, supra glabra, subtus punctatula hirta & ad lentem obscure multicallosa, semuncialia, in quibusdam individuis vix tres lineas longa.

**PEDUNCULI** ad basin non articulati, uniflori, axillares, solitarii, villosissimi, flaccidi, sescunciales; cum *bracteolis* alternantibus approximatis superne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, ciliata, villosa, pallide virentia, erecta.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* erecti, calyce fere duplo longiores, flavi. *Laminae* amplae, obverse ovatae, rotundatae cum porrecto parvo acumine, patentissimae, intus saturate rubrae, foris pallidius rubentes cum altero latere dorsali flavescente & villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi coalita in unum corpus. *Interiora* denticulata, inaequalia, pilis simplicibus hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* pilis simplicibus hirsuta. *Antherae* incumbentes, luteae. *Styli* intermedi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Septembri, Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

*Obs.* Distinguitur haec planta facile ab omnibus mihi cognitis per folia sua, in apicibus caulis ramorumque in rosulam patentem & valde incanam densissime aggregata; quare *rosaceam* nominavi.

## 31.

## OXALIS DISTICHA. Tab. 18.

**BULBUS** elongate ovatus, semuncialis vel longior, tunica fusca vestitus, ex basi longam crassulamque fibram demittens.

**CAULIS** teres, pennam columbinam crassus, glaber, pallide virens, aut sordide purpurascens, semipedalis aut longior, basi erectiusculus, dein reclinatus & adscendens, basi ramosus, inferne squamis distantibus instructus, cæterum foliosus, ad omnes squamas omniaque folia articulatus.

**FOLIA** alterna, disticha, glabra, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilior, patens, unam alteram unciam longus; articulo utrinque alato *stipula* magna, amplexicauli, albida, pellucida, conniventissima, superne parum connata, hinc perforata, obverse cordata, si disrupta expanditur. *Foliola* obverse cordata, utrinque ad lentem punctatula, viridia, brevissime petiolata, vix semuncialia, omnia æqualia.

**PEDUNCULI** basi articulati, uniflori, axillares, solitarii, alterni, teretes, glabri, patuli, plus minus longitudine foliorum; cum *bracteolis* oppositis, ipsi calyci subjectis.

**CALYCIS** glabri *foliola* oblonga, obtusa, pallide virentia cum oris albidis, patula.

**COROLLA** campanulata, glabra, calyce triplo longior, intus sordide flava, foris ex flavo pallens. *Petala* obverse ovata, rotundata, ampla, superne patentissima.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata, glabra. *Interiora* denticulata, æqualia, superne conniventia. *Antheræ* oblongæ, ortu incumbentes, situ erectæ, flavæ. *Germen* ovatum, quinesulcatum, inferne glabrum, superne pilis clavatis hirsutum. *Styli* intermedii, glabri. *Semina* solitaria.

**FLORET** apud nos Decembri & Januario.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

OXALIS TENELLA. *Tab. 19.*

**BULBUS** ovatus, acutus, piselli magnitudine, sæpe plusculi tunicæ communi fuscae inclusi.

**CAULIS** filiformis, debilis, uncialis aut paulo longior, teres, ad lentem villosulus.

**FOLIA** alterna, ternata, erectiuscula, inferne rara, superne plura approximata. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, villosulus, unam alteramve unciam longus. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, ad oras villosula, utrinque glabriuscula & punctis minutis ad lucem pellucidâ, tres quatuorve lineas longa.

**PEDUNCULI** axillares, solitarii, uniflori, ad basin articulati, teretes, villosuli, erecti, foliis longiores; cum *bracteolis* superne alternantibus.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, ciliata, hirsuta, erecta, viridia cum oris albidis cumque callis infra apicem oblongis aurantiacis.

**COROLLA** calyce quintuplo longior, campanulata, glabra. *Ungues* breves, erecti, flavi. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, patentissimae, utrinque pallidissime violaceae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi coalita. *Interiora* edentula, inæqualia, paucis pilis capitatis hirsutula. *Exteriora* æqualia, similiter hirsutula. *Antherae* oblongae, incumbentes, flavæ. *Germen* oblongum, cum virore pallens, superne pilis & callis aurantiacis instructum. *Styli* brevissimi, pilis capitatis dense hirsuti.

**FLORET** apud nos Novembri & Decembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Hæc est subsequa species Oxalides caulescentes cum acaulibus intermedie conjungunt.



## OXALIS REPTATRIX. Tab. 20.

**BULBUS** subrotundus, avellanæ plus minus magnitudine, cortice nigro duroque tectus, plerumque constans nucleo duplici; radicem emittens gracilem, albam, geniculatam, squama ad singulos nodos instructam, fibrillis undique auctam, hic illic in decursu bulbiferam, sub terra horizontaliter repentem, ab unica ad sex uncias longam.

**CAULIS** teres, pennam columbinam crassus, villosulus, erectus, infra folia squamosus & plus minus uncialis, dein duas tresve uncias longus.

**FOLIA** alterna, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, villosus, debilis, ruber vel viridis, a tribus ad sex uncias longus. *Foliola* sessilia, subrotunda, leviter emarginata, utrinque ad lentem punctatula, ad oras & nervum dorsalem villosula, cæterum glabra, viridia, senectute ex rubro flavoque varia.

**SCAPI** axillares, basi articulati, teretes, villosuli, rubri, uniflori, flaccidi, longitudine foliorum; cum *bracteolis* infra medium alternantibus viridibus.

**CALYCIS** foliola oblonga, acutula, ciliata, hirsuta, erecta, virentia.

**COROLLA** calyce sexies longior, subcampanulata. *Ungues* erecti, calyce duplo longiores, flavescentes. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, amplae, patentissimae, pallidi cum suffusa purpura, altero latere dorsali villosulae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi coalita. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis rariter adspersa cum denticulis similiter hirsutis. *Exteriora* similiter hirsuta. *Antherae* oblongae, incumbentes, flavæ. *Germen* oblongum, pallide virens, superne villosum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Novembri & Decembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Hæc radice repente, & in decursu suo plures bulbillos generante, multipliciter se propagat, sic ut ollæ sint brevi plantis repletæ, semper omnibus sic caulescentibus. Ex tot individuis plantis, lætissime vegetantibus, jam a quatuor annis in horto cultis, una sola huc usque unicum florem produxit, hic depicta.

## 34.

OXALIS LEPIDA. *Tab. 21.*

BULBUS subrotundus, pifo duplo major, semisolutus, tunica vestitus molli compressili veluti lanuginosa & ex stramineo fuscescente.

STIPES subterraneus, ab unica linea ad unciam longus, superne paucisquamofus, in umbellam paucorum foliorum florumque terminatus.

FOLIA pauca, simplicia, erecta vel decumbentia; ovata, vel obverse ovata, vel oblonga; emarginata vel integerrima, utrinque viridia & ad lentem punctatula, ad oras & ad nervum medium dorsalem pilis capitatis hirsuta, cæterum glabra, plus minus uncialia; cum *petiolo* ejusdem longitudinis, pilis capitatis hirsuto, infra folium ut in ipsa basi breviter articulato.

SCAPI ab unico ad quatuor, uniflori, ad basin non articulati, debiles, pilis capitatis hirsuti, foliis longiores, ex viridi flavescens, *bracteolis* plauce destituti.

CALYCIS foliola oblonga, obtusula, erecta, pilis capitatis hirsuta & ciliata, inferne pallide virentia, superne maculis sanguineis punctisque aurantiacis variegata & ad oras albida.

COROLLA calyce sexies longior, campanulata. *Ungues* erecti, villosi, flavi. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, pallide purpurascens cum altero latere dorsali villoso.

GENITALIA. *Filamenta* connata. *Interiora* gibbose denticulata, inæqualia, pilis capitatis hirsuta. *Exteriora* æqualia, omnium brevissima, glabra. *Antherae* oblongae, incumbentes, flavæ. *Germen* subrotundum, ex viridi pallens, superne capitate hirsutum. *Styli* longissimi, pallidi, pilis capitatis hirsuti.

FLORET apud nos Octobri & Novembri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Hæc & duæ subsequæ habitu, foliis, bulbo floribusque adeo sibi similes sunt, ut ægre distingui possint. Genitalia vero differunt quam maxime. Præter longitudinem diversam stylorum sunt in Oxalide lepida filamenta interiora gibbose denticulata & inæqualia, exteriora autem omnium brevissima. In Oxalide monophylla filamenta sunt edentula & æqualia. Talia etiam sunt in rostrata, sed hic apice singulariter rostrata; qua nota differt ab omnibus mihi visis Oxalidibus. In hujus figura vellus densum, quod ceu tunica exterior bulbum circumdat, avulsus est, ut bulbus in conspectum prodeat.

OXALIS MONOPHYLLA. *Tab. 79. fig. 3.*

**BULBUS** subrotundus, piso duplo major, semifolustus, tunica vestitus molli compressibili veluti lanuginosa & ex stramineo fuscescente.

**STIPES** subterraneus, brevis, superne paucisquamofus, in umbellam terminatus paucorum foliorum florumque.

**FOLIA** pauca, simplicia, patula, ex oblongo obverse ovata, subintegerrima, ad oras & ad nervum medium dorsalem pilis capitatis hirsuta, cæterum glabra, semuncialia; cum *petiolo* ejusdem longitudinis, pilis capitatis hirsuto, infra folium nec basi articulato.

**SCAPI** pauci, uniflori, ad basin longiuscule articulati, pilis capitatis hirsuti, foliis longiores, *bracteolis* plane destituti.

**CALYCIS** foliola oblonga, obtusula, erecta, pilis capitatis hirsuta & ciliata.

**COROLLA** calyce sexies longior, campanulata. *Ungues* erecti, villosi. *Laminæ* obverse ovatae, rotundatae, cum altero latere dorsali villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi brevissime connata. *Interiora* edentula, æqualia, glabra. *Exteriora* omnium brevissima, glabra. *Antheræ* oblongæ, incumbentes. *Germen* subrotundum, superne hirsutum. *Styli* intermedii, pilis capitatis hirsuti.

**FLORET.** . . . .

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Ad plantam Thunbergii siccam.

OXALIS ROSTRATA. *Tab. 22.*

**BULBUS** subrotundus, piso duplo major, semifolius, tunica vestitus molli compressili veluti lanuginosa & ex stramineo fuscescente.

**STIPES** subterraneus, ab unica linea ad unciam longus, superne paucisquamofus, in umbellam paucorum foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** pauca, simplicia, erecta vel decumbentia; ovata, obverse ovata vel oblonga; emarginata vel integerrima, utrinque viridia & ad lentem punctatula, ad oras & ad nervum medium dorsalem pilis capitatis hirsuta, caeterum glabra, plus minus uncialia; cum *petiolo* ejusdem longitudinis, pilis capitatis hirsuto, infra folium nec basi articulato.

**SCAPI** ab unico ad quatuor, uniflori, ad basin longiuscule articulati, debiles, pilis capitatis hirsuti, foliis longiores, ex viridi flavescentes, *bracteolis* plane destituti.

**CALYCIS** foliola oblonga, obtusula, erecta, pilis capitatis hirsuta & ciliata, pallide virentia inferne, superne maculis sanguineis punctisque aurantiacis variegata, & ad oras albida.

**COROLLA** calyce sexies longior, campanulata. *Ungues* erecti, villosi, flavi. *Laminae* rotundatae, obverse ovatae, pallide purpurascens cum altero latere dorsali villoso.

**GENITALIA.** *Filamenta* coalita. *Interiora* edentula, aequalia, apice obtusa & clavata, ad latus superne rostrum emittentia, ad rostrum glabra, caeterum & in ipso apice pilis capitatis hirsuta. *Exteriora* subulata, subglabra. *Antherae* oblongae, incumbentes, flavae, filamentorum interiorum rostris & exteriorum apicibus affixae. *Germen* ex viridi pallens, superne capitate hirsutum. *Styli* brevissimi, pallidi, glaberrimi.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

## OXALIS CRISPA. Tab. 23.

**BULBUS** subrotundus, tunica fusca tectus, avellanæ magnitudine, sæpe solutus.

**STIPES** partim subterraneus, plus minus uncialis; dein exsertus, brevior, squamosus, aphyllus, fuscescens, pennam columbinam crassus, erectus, umbella foliorum florumque terminatus rara.

**FOLIA** pauca, fere tria, erecta, glabra tota, binata, rarissime simplicia, nunquam ternata. *Petiolus* basi articulatus, crassus, femiteres, magis minusve purpurascens, fescuncialis, late alatus. *Foliola* sessilia, erecta, late obverse ovata, obtusissima, emarginata, utrinque punctata, ad oras una cum alis cartilagineo-crenulata, crispa & rigida; subtus nonnunquam sanguinea, a duabus ad tres uncias longa.

**SCAPI** pauci, uniflori, basi articulati, compressuli, nitidi, crassi, pallide virentes, erectiusculi, semipedales; cum *bracteolis* alternantibus approximatis paulo infra florem.

**CALYCIS** foliola ovata, acutula, glabra, virentia, erecta cum apicibus patulis.

**COROLLA** calyce quintuplo major. *Ungues* erecti, flavi. *Laminæ* amplæ, rotundatæ, patentissimæ, longitudine unguium, albæ cum latere dorsali altero obsolete ex rubro flavescente.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta, cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* ovatum, glabrum, pallide virens. *Styli* longissimi, pilis capitatis hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Habet nonnunquam simul unum aliudve folium simplex, cujusmodi in figura adstat ad latus. In quibusdam individuis foliola sunt multo minora & vix unciam longa.

OXALIS ASININA. *Tab. 24.*

**BULBUS** ovatus, tunica fusca vestitus, magnitudine avellanæ.

**STIPES** partim subterraneus, plus minus uncialis, squamosus; dein exsertus, brevior, squamosus, aphyllus, erectiusculus, umbella foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** pluscula, erecta, glabra, rarissime simplicia, nunquam ternata, plerumque binata. *Petiolus* basi articulatus, femiteres, plus minus biuncialis, alatus. *Foliola* lanceolata, obtusula, integerrima, rarius parumper emarginata, duas tresve uncias longa, utrinque viridia & ad lentem punctata, ad oras una cum alis cartilagineo-crenulata, erecta.

**SCAPI** pauci, uniflori, ad basin articulati, teretiusculi, foliis longiores, ex viridi pallentes, glabri, erectiusculi, debiles; cum *bracteolis* alternantibus supra medium.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acutula, glabra, erecta, virentia.

**COROLLA** calyce quadruplo longior. *Ungues* erecti, flavi. *Laminæ* amplæ, obverse ovatæ, rotundatæ, patentissimæ, utrinque luteæ.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi coalita. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* oblongum, cum virore pallens, glaberrimum. *Styli* intermedii, pilis capitatis hirsuti.

**FLORET** apud nos Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Rarius adest folium simplex.

OXALIS LEPORINA. *Tab. 25.*

**BULBUS** subrotundus, pallide carneus, tunica fusca vestitus, magnitudine avellanæ.

**STIPES** partim subterraneus, plus minus uncialis; dein exsertus, brevior, squamosus, aphyllus, fuscescens, erectiusculus, umbella foliorum florumque terminatus rara.

**FOLIA** pauca, ut plurimum sola duo, erecta, glabra, rarissime simplicia, nunquam ternata, plerumque binata. *Petiolus* basi articulatus, semiteres, plus minus biuncialis, semper alatus, sed modo id manifestissime, modo per gradus tam anguste, ut alæ vix conspicuos margines forment. *Foliola* lanceolata, obtusa, integerrima vel leviter emarginata, ab una ad duas uncias longa, utrinque ad lentem punctata, viridia, ad oras una cum alis cartilagineo-crenulata, erecta.

**SCAPI** pauci, uniflori, basi articulati, foliis longiores, teretiusculi, ex viridi pallentes, erectiusculi, glabri; cum *bracteolis* approximate alternantibus paulo infra florem.

**CALYCIS** foliola ovata, acutula, glabra, erecta cum apicibus leviter patulis, virentia.

**COROLLA** calyce quadruplo longior. *Ungues* erecti, flavi. *Laminæ* amplæ, rotundatæ, patentissimæ, longitudine unguium, albæ cum latere altero dorsali subrubente.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, albidæ. *Germen* ovatum, cum virore pallens, glaberrimum. *Styli* longissimi, pilis capitatis hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

**OXALIS LANCEAEFOLIA.** *Tab. 26.*

**BULBUS** ovatus, avellana nuce minor, tunica fusca tectus.

**STIPES** subterraneus, unam alteramve unciam longus, fere pennam columbinam crassus, superne paucisquamofus, inferne bulbifer, in umbellam foliorum paucorumque florum terminatus.

**FOLIA** pluscula, inferiora binata, reliqua ternata, erectiuscula. *Petiolus* basi articulatus & purpurascens, femiteres, glaber, magis minusve alatus, plus minus biuncialis, alis ad oras cartilagineo-scabris. *Foliola* lanceolata, acutula, sessilia, ad oras cartilagineo-scabra, utrinque glabra, ex glauco virentia, subtus ad nervum medium sanguinea, fescunciam vel duas uncias longa.

**SCAPI** pauci, uniflori, ad basin non articulati, teretes, glabri, debiles, fere longitudine foliorum, cum virore pallentes; cum *bracteola* inferne unica nec articulante.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, glabra, erecta, pallide viridia cum suffuso rubore.

**COROLLA** calyce quadruplo longior, campanulata, lutea. *Ungues* erecti, calyce paulo longiores. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, integerrimae, patentissimae.

**GENITALIA.** *Filamenta* ad basin brevissime coalita, glabra, membranaceo-compressa. *Interiora* edentula, aequalia. *Antherae* ovales, incumbentes, pallidae. *Germen* ovatum, glabrum, cum virore pallens, superne rubellum. *Styli* longissimi, pilis brevissimis rarisque villosuli.

**FLORET** apud nos Novembri & Decembri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.



## 41.

## OXALIS FABAEFOLIA. Tab. 27.

**BULBUS** subrotundus, tunica fusca vestitus, avellanæ, magnitudine, sæpe foliatus.

**STIPES** plus minus uncialis, partim subterraneus, partim exsertus, squamosus, aphyllus, superne fere calamum crassus, erectiusculus, umbella foliorum florumque terminatus rara.

**FOLIA** pauca, erecta, tota glabra, ternata. *Petiolus* basi articulatus, crassus, semiteres, subpurpurascens, fescuncialis, rotundate alatus. *Foliola* sessilia, erecta, obverse ovata vel ferme oblonga, obtusa, sæpe emarginata, plana nec undulata, ad oras cartilagineo-dentata, utrinque ad lentem punctatula, viridia, duas cum dimidia uncias longa, fere fescunciam lata.

**SCAPI** pauci, uniflori, basi articulati, compressi, crassuli, foliis longiores, erectiusculi; cum *bracteolis* approximate alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola ovata, obtusula, viridia cum oris subpurpurascens, glabra, erecta cum apicibus patulis.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* erecti, pallide flavescentes. *Laminæ* amplæ, rotundatæ, patentissimæ, intus luteæ, foris subflavescentes.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsutissima cum denticulis glabris. *Exteriora* sic etiam hirsuta. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* ovatum, glabrum, pallide virens. *Styli* intermedi, pilis capitatis hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

42.

## OXALIS LABURNIFOLIA. Tab. 28.

**BULBUS** ovatus, tunica nigrofusca vestitus, avellanæ magnitudine.

**STIPES** subterraneus, teres, albus, fere pennam columbinam crassus, plus minus uncialis, umbella foliorum florumque rara terminatus.

**FOLIA** pauca, ternata, patula. *Petiolus* basi articulatus, semiteres, crassus, hirsutus, sanguineus, plus minus biuncialis. *Foliola* obtusa, ad oras villosa, facie viridia & villosula, dorso punctata, glabra cum nervo hirsuto, & pallidius virentia vel magis minusve sanguinea, plus minus fescuncialia, sessilia, intermedium cuneiformi-lanceolatum, lateralia oblonga, integerrima.

**SCAPI** pauci, uniflori, basi articulati, compressi, erecti, albidi, villosuli, longitudine petiolorum aut iisdem multo longiores; cum *bracteolis* approximate alternantibus infra medium.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, hirsutula, pilis capitatis & simplicibus mixtis ciliata, pallide virentia cum oris sanguineis & apice fuligineo, erecta.

**COROLLA** calyce multoties longior, utrinque lutea, foris pallidius. *Ungues* erecti, villosuli. *Laminæ* cuneiformes, rotundatæ, longitudine unguium, patentissimæ, latere altero dorsali villosulæ.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* oblongum, superne hirsutum, cum virore pallens, callosum. *Styli* longissimi, pilis superioribus capitatis & reliquis simplicibus hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

## 43.

OXALIS SANGUINEA. *Tab. 29.*

**BULBUS** ovatus, minutus, cortice nigrofulco tectus, solutus.

**STIPES** subterraneus, uncialis, fordide albescens, fere pennam columbinam crassus, umbella foliorum florumque rara terminatus.

**FOLIA** pauca, etiã sola duo, ternata, erectiuscula vel patula. *Petiolus* basi articulatus, uniflorus, compressulus, duas tresve uncias longus, hirsutulus, sanguineus. *Foliola* sessilia, obtusula, ad oras villosa, utrinque punctata, supra virentia & hirsutula, subtus glabra cum nervo hirtulo nitentia & atrofinginea, intermedium lanceolatum, lateralia oblonga & uncialia.

**SCAPI** pauci, uniflori, basi articulati, teretiusculi, villosi, albi, erectiusculi, longitudine foliorum; cum *bracteolis* approximate alternantibus infra medium.

**CALYCIS** foliola lanceolato-ovata, acutula, ciliata, hirsuta, erecta, purpurascens.

**COROLLA** calyce multoties major, lutea, idque foris pallidius. *Ungues* erecti, calyce triplo longiores, villosi. *Laminae* rotundatae, late cuneiformes, patentissimae, longitudine unguium, altero dorsali latere villosae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus coalita. *Interiora* denticulata, aequalia, pilis simplicibus & brevissimis hirsuta, cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Anthorae* incumbentes, luteae. *Germen* oblongum, cum virore pallens, superne hirsutum, callosum. *Styli* intermedii, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

## 44.

OXALIS MINUTA. *Tab. 79. fig. 2.*

BULBUS ?

STIPES subterraneus, in umbellam foliorum florumque pauperem terminatus.

FOLIA pauca, ternata, minuta, tota glabra. *Petiolus* filiformis, tertiam unciae partem longus. *Foliola* lanceolata, integerrima.SCAPUS unicus, uniflorus, semuncialis, glaber, erectus; cum *bracteolis* paulo infra florem approximate alternantibus, glabris, minimis.

CALYCIS foliola lanceolata, acutula, glabra, erecta.

COROLLA calyce quintuplo longior, campanulata, glabra. *Ungues* erecti, flavescentes. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, albæ.GENITALIA. *Filamenta* basi coalita, glabra. *Interiora* edentula, æqualia. *Antheræ* oblongæ, incumbentes. *Germen* oblongum, glabrum, breve. *Styli* longissimi, pilis simplicibus hirsuti.

FLORET. . . .

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Ad Thunbergii specimen siccum & figura & descriptio factæ sunt.

## 45.

OXALIS CILIARIS. *Tab. 30.*

**BULBUS** ovatus, avellanæ magnitudine, cortice nigro tectus.

**STIPES** exsertus, paucisquamofus, folio uno alterove in decursu auctus, teres, villosus, inferne sæpe glaber, gracilis, debilis, erectiusculus, umbella foliorum florumque densa terminatus.

**FOLIA** plura, ternata, erecta & patentissima. *Petiolus* basi latefcens ciliatus & ad oras subtus aurantiaco-maculatus, nec articulatus, gracilis, hirsutus, a duabus lineis ad duas cum dimidia uncias longus. *Foliola* omnia exacte oblonga, brevissime petiolata, obtusa, integerrima vel subemarginata, ad lentem utrinque punctatula & viridia, ad oras & subtus villosula, supra glabra, plus minus semuncialia.

**SCAPI** plures, basi non articulati, graciles, erecti, hirsutuli, uniflori, foliis longiores; cum *bracteolis* subalternantibus, calyci subjectis.

**CALYCIS** foliola elongate lanceolata, acuta, villosula, ciliata, viridia, erecta.

**COROLLA** calyce quadruplo longior: *Ungues* erecti, flavi, tubulosi. *Laminae* cuneiformes, rotundatae, patentissimae, fere longitudine unguium, rubrae cum altero latere dorsali pallidiore & subvillosa.

**GENITALIA** omnia pilis minutissimis capitatis hirsuta. *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* edentula, æqualia. *Antherae* incumbentes, luteae. *Germen* ovale, cum virore pallens, totum hirsutum, callosum. *Styli* longissimi.

**FLORET** apud nos Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Ad latus aucta fiat petioli basis.

## 46.

OXALIS ARCUATA. *Tab. 31.*

**BULBUS** ovatus, gracilis, tunica nigrofusca tectus, fere unciam longus.

**STIPES** exsertus, teres, penna columbina fere duplo gracilior, paucisquamofus, aphyllus, hirsutus, ex viridi fuscescens, tres quatuorve uncias longus, procumbens, in umbellam foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, patula. *Petiolus* basi articulatus, gracilis, sordide purpurascens, teres, hirsutus, plus minus uncialis. *Foliola* subsessilia, lineari-oblonga, omnia emarginata, plana, ad oras villosè ciliata, supra glabra, subtus villosa, utrinque ad lentem punctatula, recurvata, uncialia.

**SCAPI** plures, ad basin articulati, uniflori, teretes, villosi, erecti, purpurascens, plus minus longitudine petiolorum; cum *bracteolis* omnium minutissimis & ipsi calyci subjectis.

**CALYCIS** foliola lanceolato-acuta, hirsuta, ciliata, erecta, pallide virentia.

**COROLLA** calyce quadruplo longior. *Ungues* longe tubulosi, erecti, villosi, ex flavo sordentes. *Laminae* lanceolatae, obtusulae, foris villosulae, unguibus breviores, patentissimae, rubrae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi coalita. *Interiora* edentula, inaequalia, pilis subcapitatis rarioribus hirsutula. *Exteriora* inaequalia, similiter hirsuta. *Antherae* didymae, ovaes, erectae, flavae. *Germen* cum virore pallens, superne rariter hirsutum. *Styli* brevissimi, toti glabri.

**FLORET** apud nos Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

## 47.

## OXALIS LINEARIS. Tab. 32.

**BULBUS** ovatus, tunica nigrofulca tectus, avellana minor.

**STIPES** exsertus, teres, gracilis, paucisquamofus, plerumque aphyllus, rarius foliolo unico superne ornatus, hirsutus, fuscus, a quatuor ad septem uncias longus, in prima ætate sæpius erectus, dein totus procumbens, umbella terminatus foliorum florumque densiuscula, rarius ultra hanc elongatus in aliam similem umbellam.

**FOLIA** plura, ternata, erectiuscula. *Petiolus* basi latefcens, nec articulatus, gracilis, purpurascens, hirsutus, subuncialis. *Foliola* subsessilia, sublinearia, integerrima vel leviter emarginata, ad oras villosa, utrinque ad lentem punctata, & virentia, supra glabra, subtus villosula, tres quartas uncix partes longa.

**SCAPI** plures, uniflori, ad basin non articulati, teretes, villosi, erecti, purpurascens, longitudine plus minus petiolorum; cum *bracteolis* approximate alternantibus mox infra calycem.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, erecta, ciliata, villosa, purpurascens.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* villosuli, ex flavo sordentes, erecti, longe tubulosi. *Laminæ* lanceolatae, obtusulae, unguibus breviores, foris villosulae, patentissimae, purpurascens.

**GENITALIA** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* edentula, inæqualia, glabra. *Exteriora* glabra. *Antheræ* erectae, flavæ. *Germen* oblongum, cum virore pallens, superne hirsutulum. *Styli* longissimi, ad medias usque laminas petalorum exserti, basi & versus apicem pilis simplicibus paucissimis hirsuti, cæterum glabri.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

OXALIS GRACILIS. Tab. 33.

**BULBUS** subrotundus, avellanæ magnitudine, tunica fusca vestitus, nonnunquam solutus.

**STIPES** exsertus, filiformis, fuscescens, glaber, plus minus semipedalis, debilissimus & ob summam gracilitatem semper in terram totus prostratus, inferne aphyllus & paucisquamosus, superne foliis solitariis & sæpe umbellula auctus, terminatus umbella foliorum florumque rariore.

**FOLIA** ternata. *Petiolus* basi articulatus, filiformis, glabriusculus, ab una ad fescunciam longus, laxus. *Foliola* subpetiolata, sublinearia, obtusa, subemarginata, supra glabra, subtus & ad oras obscure villosula, viridia, nullo conspicuo callo notata, a dimidia ad unciam longa.

**SCAPI** pauci ex omnibus umbellis, & interdum etiam ex folii superioris axilla unus, uniflori, basi articulati, foliis longiores, petiolis crassiores, ad lentem villosuli, laxi; cum *bracteolis* approximate alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, ciliatula, villosula, virentia cum apicibus & oris baseos ferrugineis, erecta.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* erecti, subflavescentes. *Laminae* amplæ, rotundatæ cum exiguo acumine, patentissimæ, intus pallide miniatæ, foris ex miniato albentes.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* edentula, æqualia, pilis capitatis aliisque mistis simplicibus hirsutula. *Exteriora* sic valde rariter hirsuta. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* pyramidale, cum virore pallens, superne hirsutum. *Styli* longissimi, simili ratione densius hirsuti.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.



## OXALIS RECLINATA. Tab. 34.

**BULBUS** subrotundus, uncialis sæpe diametri, tunica fusca tectus, solutus.

**STIPES** exsertus, pedalis vel sesquipedalis, teres, penna columbina gracilior, minute & dense villosus, fuscus, infra medium paucisquamosus & aphyllus, supra medium foliosus & ramulo nonnunquam auctus, junior totus erectus, dein magis minusve reclinatus, imo sæpe fere totus dejectus ob propriam debilitatem umbellæque pondus, umbella terminatus foliorum florumque densiore & laxa.

**FOLIA** plura, ternata. *Petiolus* basi articulatus, filiformis, ab una ad duas uncias longus, villosus, ex purpureo fuscescens, laxis. *Foliola* brevissime petiolata, oblongo-lineararia, emarginata, facie glabra, subtus & ad oras per lentem brevissime pubescentia, callis luteis per totum discum dorsalem sparsis & tantum ad lentem conspicuis notata, plus minus semuncialia.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, villosuli, laxi, petiolis crassiores & longiores; cum *bracteolis* approximate alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola lineari-lanceolata, obtusa, obiter ciliata & villosula, virentia cum apicibus fuscis, erecta.

**COROLLA** calyce quadruplo longior. *Ungues* erecti, flavescentes. *Laminae* amplæ, rotundatæ, obtusissimæ, glabræ, patentissimæ; intus pallide miniatæ, foris eodem colore dilutiori.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus coalita. *Interiora* edentula, inæqualia, pilis simplicibus hirsuta. *Exteriora* sic etiam hirsutula. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* oblongum, cum virore pallens, supra medium villosissimum. *Styli* intermediï, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

50.

OXALIS MINIATA. *Tab. 35.*

BULBUS subrotundus, avellanæ magnitudine, tunica fusca vestitus, nonnunquam solutus.

STIPES exsertus, filiformis, fuscescens, glaber, ab unica ad quatuor uncias longus, debilissimus & ob summam gracilitatem semper terræ totus quantus incumbens, maximam partem aphyllus paucisque minutis squamis vestitus, superne folio aut umbellula una alterave auctus, terminatus umbella foliorum florumque densiore & laxa.

FOLIA plura, ternata. *Petiolus* basi articulatus, filiformis, gabriusculus, ab una ad duas uncias longus, laxus. *Foliola* subsessilia, linearia, obtusa, sæpe emarginata, supra glabra, subtus & ad oras per lentem vix villosula, viridia, nullo callo conspicuo notata, a dimidia ad integram unciam longa.

SCAPI plures, uniflori, basi articulati, foliis longiores, petiolis crassiores, ad lentem villosuli, laxi; cum *bracteolis* approximate alternantibus superne.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, villosula, ciliatula, virentia cum apicibus ferrugineis, erecta.

COROLLA calyce quadruplo & ultra longior. *Ungues* erecti, subflavescentes. *Laminæ* amplæ, rotundatæ cum exiguo acumine, intus saturate miniatæ, foris pallidissime miniatæ, patentissimæ.

GENITALIA omnia glabra. *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* edentula, inæqualia. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* ovatum, glabrum, pallide virens. *Styli* brevissimi.

FLORET apud nos Septembri & Octobri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

OXALIS VERSICOLOR. *Tab. 36. et Tab. 77. fig. 4.*

BULBUS ovatus, semunciam longus, tunica nigra vestitus, intra hanc sæpe multiplex, hinc in culta fere semper multistipitatus.

STIPES exsertus, paucisquamofus, teres, gracilis, pilis rarioribus adpersus, sex uncias longus, modo aphyllus, modo folio unico superne instructus, in tenella ætate erectiusculus, dein totus procumbens, umbella foliorum florumque densa terminatus.

FOLIA plura, ternata, erecta & patula. *Petiolus* basi articulatus, filiformis, villosus, ab unica ad duas uncias longus. *Foliola* subsessilia, cuneiformi-lineararia, emarginata, ad oras & subtus ad lentem villosula, supra glabra & punctatula, virentia, dorso infra apicem duobus callis aurantiacis instructa, plus minus semuncialia.

SCAPI plures, uniflori, basi articulati, teretes, superne pilis capitatis, cæterum simplicibus hirsutuli, erectiusculi, petiolis longiores & duplo crassiores; cum *bracteolis* alternantibus approximatis & per capitatos pilos ciliatis superne.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, erecta, pilis capitatis vel simplicibus ciliata & hirsuta, virentia cum oris sanguineis & infra apicem duobus callis oblongis aurantiacis & superne connatis notata.

COROLLA calyce quadruplo longior. *Ungues* erecti, flavescentes. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, integerrimae, amplae, patentissimae, albæ cum altero latere dorsali sanguineo.

GENITALIA. *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, inæqualia, pilis simplicibus capitatisque hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* sic parcissime hirsuta. *Antheræ* incumbentes, sulphureæ. *Germen* cum virore pallens, superne hirsutulum. *Styli* longissimi, pilis simplicibus & capitatis hirsuti.

FLORET apud nos Septembri & Octobri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Figura quarta tabulæ septuagesimæ septimæ repræsentat plantam sylvestrem minimam. In synonymia, Burmanni aliorumque autorum synonyma omisi, quandoquidem ex solis horum figuris & descriptionibus nihil certi eruere potui. Credibile est, hanc & tres sequentes a Linnæo & Thunbergio ceu varietates ejusdem speciei habitas fuisse.

52.

OXALIS ELONGATA. *Tab. 37.*

**BULBUS** ovatus, tunica fuliginea tectus, avellana minor.

**STIPES** exsertus, teres, gracilis, ad lentem hirsutulus, paucisquamofus, sæpe folio uno alterove instructus, plus minus semipedalis, debilissimus, hinc tandem totus procumbens, in umbellam foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** plura, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, ad lentem villosulus, plus minus uncialis. *Foliola* subsessilia, linearia, emarginata, virentia, supra glabra & punctatula, subtus hirsutula & infra apicem duobus punctis ferrugineis, sæpe deficientibus, notata, semuncialia vel paulo longiora.

**SCAPI** plures, basi articulati, uniflori, villosuli, teretes, foliis fere duplo longiores, debiliter erectiusculi; cum *bracteolis* alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, erecta, pilis capitatis hirsuta, tota virentia cum callis dorsalibus in apice duobus linearibus & aurantiacis.

**COROLLA** calyce quadruplo longior, campanulata. *Ungues* erecti, flavi. *Laminae* obverse ovatae, emarginatae, patentissimae, albæ cum altero margine dorsali leviter ex flavo purpurascente.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, inæqualia, pilis capitatis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* oblongæ, incumbentes, sulphuræ. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

## 53.

## OXALIS TENUIFOLIA. Tab. 38.

BULBUS ovatus, tunica nigricante vestitus, avellana duplo minor.

STIPES exsertus, teres, erectiusculus, glaber vel villosulus, inferne purpureus, cæterum viridis, a duabus ad quatuor uncias longus, basi squamis vestitus, modo plane aphyllus, modo fere totus foliosus, imo ramulis sterilibus auctus, terminatus in foliorum florumque umbellam, ultra hanc nonnunquam elongatus sed sterilis.

FOLIA ternata, patula. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, villosulus, uncialis vel multo brevior. *Foliola* subsessilia, linearia, obtusa vel retusa, utrinque rarissimis pilis adspersa, conniventia, subtus infra apicem & ad oras callis aurantiacis a tribus ad novem utrinque donata, vix semuncialia.

SCAPI plures, ad basin breviter articulati, uniflori, teretes, villosuli, purpurascentes, erectiusculi, biunciales & ultra; cum *bracteolis* alternantibus, minutis, villosulis, superne aurantiacis, supra medium.

CALYCIS foliola oblonga, acutula, villosa, cum virore misto purpurascentia, ciliata, ad apicem duobus callis oblongis aurantiacis subtus instructa.

COROLLA calyce quadruplo longior, campanulata. *Ungues* erecti, flavescentes. *Laminæ* rotundato-cuneiformes, pallidæ cum suffuso carneo colore, foris ad alterum latus purpureorubræ & villosulæ, integerrimæ.

GENITALIA. *Filamenta* basi coalita. *Interiora* denticulata, inæqualia, pilis capitatis hirsuta, cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* oblongæ, incumbentes, flavæ vel albidæ. *Germen* ex viridi pallidum, superne hirsutulum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti.

FLORET apud nos Octobri & Novembri.

PATRIA. Promontorium bonæ-spei.

## OXALIS POLYPHYLLA. Tab. 39.

**BULBUS** subrotundus, nucis avellanæ vel etiam juglandis magnitudine, tunica fusca vestitus, solutus in squamas ovatas acuminatas carneas vel pallidas & carnosas.

**STIPES** exsertus, a dimidia ad sex uncias altus, teres, erectus, debilis, ad lentem villosulus, purpurascens vel fuscescens, pennam columbinam crassus, modo aphyllus & folis squamis distantibus vestitus, modo foliosus, plerumque simplicifolius, rarius uno alterove ramulo auctus, in umbellam terminatus dense foliosam & multifloram.

**FOLIA** plurima, ternata. *Petiolus* ad basin levissime articulatus, teres, gracilis, e purpureo viridis, ad lentem villosulus, a dimidia ad tres quatuorve uncias longus. *Foliola* sessilia, linearia, emarginata, utrinque ad lentem punctata, supra glabra, subtus rarissimis pilis & infra apicem duobus callis orbicularibus aurantiacis donata, canaliculato-conniventia, a dimidia ad unam unciam longa.

**SCAPI** plures, uniflori, ad basin articulati, petiolis multo crassiores, teretes, ad lentem villosuli, ex fusco vel purpureo virescentes; cum *bracteolis* superne alternantibus vel suboppositis, obtusis, subtus infra apicem callos duos oblongos & fulvos gerentibus.

**CALYCIS** foliola lanceolato-oblonga, obtusa, hirsutula, viridia cum oris inferne purpureis, bractearum adinstar bicallosa, in flore erecta, dein semireflexa.

**COROLLA** calyce triplo longior, campanulata. *Ungues* erecti, ex flavo patentes. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, patentissimae, intus pallide ex purpureo roseae, foris ex albido fordentes cum altero latere magis flavescente & villosulo.

**GENITALIA**. *Filamenta* coalita ad basin. *Interiora* gibbose denticulata, inaequalia, pilis capitatis hirsuta cum gibbis glabris. *Exteriora* glabra. *Antherae* oblongae, incumbentes, sulphureae. *Germen* cum virore pallens, superne hirsutum. *Styli* intermedi, inferne pilis simplicibus & superne iisdem capitatis hirsuti. *Stigmata* ochroleuca.

**FLORET** apud nos a Septembri ad Decembrim.

**PATRIA**. Promontorium bonæ spei.

## OXALIS CUNEATA. Tab. 40.

**BULBUS** ovatus, fere avellanæ magnitudine, tunica nigrofusca vestitus, sæpe superne solutus.

**STIPES** exsertus, teres, squamosus, fuscus, villosus, procumbens, aphyllus, gracilis, duas tresve uncias longus, umbella foliorum florumque densa terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, patula. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, villosus, purpurascens, ab una ad tres uncias longus. *Foliola* subsessilia, omnia cuneiformia, emarginata, utrinque & ad oras villosa, mollia, subtus punctatula & ad lucem per microscopium maculis subrotundis flavescens sparsis insignita, semuncialia.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, fere foliorum longitudine, teretes, hirsuti, purpurascens, erecti; cum *bracteolis* alternantibus approximatis superne.

**CALYCIS** foliola lineari-lanceolata, acuta, hirsuta, ciliata, erecta, purpurascens.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* erecti, flavi. *Laminæ* obverse ovatae, rotundatae, amplae, patentissimae, intus niveae, foris albae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* edentula, aequalia, pilis capitatis rarioribus hirsuta. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteae. *Germen* brevissimum, cum virore pallens, superne hirsutum. *Styli*, longissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

56.

## OXALIS CUNEIFOLIA. Tab. 41.

**BULBUS** ovatus, avellana minor, tunica nigrofusca tectus, nonnunquam superne solutus.

**STIPES** exsertus, teres, squamosus, villosus, fuscus, uno sæpe alterove folio in decursu ornatus, procumbens, plus minus triuncialis, umbella foliorum florumque densa terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, patula & erecta. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, villosus, purpurascens, plus minus triuncialis. *Foliola* subsessilia, omnia cuneiformia, emarginata, utrinque & ad oras villosa, mollia, subincano-virentia, subtus punctatula & ad lucem per lentem maculis subrotundis flavescens sparsis notata, semuncialia.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, foliorum fere longitudine, teretes, pallide purpurascens, villosi, erecti; cum *bracteolis* alternantibus approximatis superne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, villosa, ciliata, erecta cum apicibus sæpe patulis, virescentia.

**COROLLA** quinque calyce longior, inferne flavescens, cæterum alba. *Ungues* calyce duplo longiores, erecti. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, patentissimae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* edentula, inæqualia, pilis capitatis hirsuta, unguibus corollae breviora. *Exteriora* pilis capitatis hirsuta. *Antherae* incumbentes, luteae. *Germen* oblongum, cum virore pallens, superne hirsutissimam, obscure callosum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Hæc differt ab Oxalide cuneata solis genitalibus, scilicet filamentis interioribus inæqualibus nec æqualibus, filamentis exterioribus capitate pilosis nec glabris, & stylis brevissimis.



## OXALIS GLABRA. Tab. 76. fig. 3.

## BULBUS . . . .

STIPES exsertus, teres, filiformis, ad lentem villosulus, fulcato-angulatus, erectus, unam alteramve unciam longus, folio sæpe in decursu auctus, terminatus in umbellam foliorum florumque.

FOLIA plura, ternata. *Petiolus* basi lata subamplexicaulis, striatus, ad lentem villosus. *Foliola* subsessilia, omnia cuneiformia, emarginata, conniventia, utrinque glabra, ad oras pilis distantibus ciliata, subtus versus oras uno ordine callorum subrotundorum insignita, unam tertiam unciae partem longa.

SCAPI pauci, uniflori, ad lentem obscure villosi, erecti, fescunciales; cum *bracteolis* alternantibus superne, lanceolatis, acutis, erectis.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, superne ad oras pauciciliata, cæterum glabra, pallida, subtus infra apicem duobus callis oblongis flavisque instructa.

COROLLA calyce triplo longior, subcampanulata. *Ungues* flavi. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, purpureae, patulae.

GENITALIA. *Filamenta* basi connata in unum corpus, tota glabra. *Interiora* denticulata, aequalia. *Antherae* oblongae, incumbentes, flavae. *Germen* rubrostriatum. *Styli* longissimi, inferne pilis simplicibus, superne iisdem capitatis hirsuti.

## FLORET. . . . .

PATRIA. Promontorium bonae spei.

*Obs.* Descripti ad specimen siccum, a Thunbergio missum.

## OXALIS PUSILLA. Tab. 42.

**BULBUS** ovatus, tunica fusca tectus, pisello minor.

**STIPES** partim subterraneus, partim exsertus & a dimidia ad duas uncias longus, filiformis, glaber, brevior erectus, longior procumbens, modo in decursu aphyllus, modo basi aut superne paucis foliis ornatus, umbella terminatus foliorum densiore.

**FOLIA** plura, patula & erecta, ternata. *Petiolus* basi non articulatus, filiformis, glaber, plus minus uncialis. *Foliola* subsessilia, cuneiformia, emarginata, utrinque punctatula & viridia; glabra cum pilo uno alterove nonnunquam in dorso, plus minus quatuor lineas longa, nullo callo notata.

**SCAPUS** in nostris individuis unicus, uniflorus, basi articulatus, teres; glaber, longitudine foliorum, debilis, viridis; cum *bracteolis* superne alternantibus pallidis & in dorso ad apicem callose aurantiacis.

**CALYCIS** foliola lanceolato-oblonga, obtusa, glabra, concava, erecta, pallidius virentia, in dorso ad apicem callis duobus oblongis & aurantiacis instructa.

**COROLLA** calyce triplo longior, campanulata. *Ungues* erecti, flavescentes. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, patentissimae, ex violaceo albæ.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi coalita, glabra. *Interiora* denticulata, inæqualia. *Exteriora* æqualia. *Antheræ* oblongæ, incumbentes, flavæ. *Germen* oblongum, glabrum, pallidum. *Styli* intermedii, glabri.

**FLORET** apud nos Decembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

## OXALIS AMBIGUA. Tab. 43.

BULBUS ovalis, uncialis, cortice nigro duroque tectus.

STIPES exsertus, unam alteramve unciam longus, squamosus, teres, penam columbinam crassus, purpurascens, villosulus, erectus, umbella foliorum florumque terminatus densa.

FOLIA plurima, ternata, in orbem patula. *Petiolus* basi articulatus, teres, plus minus biuncialis, villosus, virescens vel rubescens. *Foliola* subsessilia, utrinque & ad oras hirsuta, utrinque punctatula & virentia, semuncialia aut longiora, intermedium cuneiformi-obovatum & sæpe emarginatum, lateralia oblonga & integerrima.

SCAPI plures, uniflori, basi articulati, teretes, villosuli, pallidi, erectiusculi, modo foliis longiores, modo breviores; cum *bracteolis* oppositis articulanti- bus supra medium.

CALYCIS foliola lanceolata, obtusula, omnia æqualia nec ullum spathulatum, hirsuta, ciliata, pallide virentia cum oris albidis, sæpius infra apicem unica vel duabus maculis subrotundis aurantiacis notata, erecta.

COROLLA calyce multoties longior. *Ungues* erecti, sulphurei. *Laminæ* amplæ, rotundatæ, intus niveæ, foris sub sulphurææ cum altero latere dorsali punctis rubris variegato, patentissimæ.

GENITALIA. *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* oblongum, cum virore pallens, superne hirsutum, callosum. *Styli* longissimi, pilis capitatis brevibus cum mixtis paucis simplicibus longis hirsuti.

FLORET apud nos Septembri & Novembri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Diu hæsi dubius, an non sola Oxalidis undulatæ foret varietas. Constans tamen discrimen in foliis calycinis æqualibus foliolisque nunquam undulatis induxit me tandem, ut speciem diversam crederem.

60.

OXALIS UNDULATA. *Tab. 44.*

**BULBUS** ovalis, uncialis, tunica nigrofusca vestitus.

**STIPES** exsertus, teres, squamosus, pennam columbinam crassus, ab una ad tres uncias longus, erectiusculus, viridis vel fuscescens, leviter pubescens, squamis lanceolatis acuminatis ferrugineis & ciliatis donatus, aphyllus, umbellâ foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** plura, ternata, erectiuscula vel patula. *Petiolus* basi articulatus, teres, hirsutus, ab una ad tres uncias longus. *Foliola* subsessilia; utrinque punctata, virentia, & breviter villosa; ad oras ciliatula, magis minusve undulata, rarissime tota plana, uncialia, apice rotundata, subtus punctis subrotundis sordide flavescens sparsisque notata vel ad lentem ægre conspicuis; intermedium cuneiformi-obovatum, emarginatum & paulo longius; lateralia oblonga & integerrima.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, foliis longiores, villosi, teretes, pallidi vel purpurascens, erecti; cum *bracteolis* oppositis articulantibus infra medium.

**CALYCIS** foliola oblonga, obtusa, hirsuta, ciliata, superne virentia, inferne sanguineo-maculata, in dorso maculis subrotundis flavis sparsisque variegata; quorum unum majus est, & spathulatum.

**COROLLA** calyce quintuplo longior. *Ungues* breves, flavescens, erecti. *Laminae* amplissimæ, rotundatæ, longæ, albæ cum latere dorsali altero purpureo-punctato.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* ex viridi pallens, superne hirsutum, callosum. *Styli* longissimi, pilis simplicibus hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA** Promontorium bonæ spei.

## 61.

## OXALIS FUSCATA. Tab. 45.

**BULBUS** ovalis, cortice nigro duroque tectus, uncialis.

**STIPES** subterraneus, superne squamosulus, unciam & ultra longus, umbella terminatus foliorum florumque densa, cui inferne subjicitur sæpe una alterave alia umbella pauperior.

**FOLIA** plurima, ternata, patula. *Petiolus* basi articulatus, teres, hirsutus, duas tresve uncias longus. *Foliola* subsessilia, punctata, ad oras villosa; facie villosa, & virentia cum maculis sanguineo-fuscis; dorso glabra & sanguinea fere tota; plus minus semuncialia, rotundata; intermedium cuneiformi-obverse ovatum vel magis subrotundum, integerrimum vel leviter emarginatum; lateralia oblonga & integerrima.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, teretes, villosuli, erecti, pallidi, graciles, quadriunciales; cum *bracteolis* oppositis articulantibus supra medium.

**CALYCIS** foliola lanceolata, obtusa, hirsuta, ciliata, erecta, virentia cum basi rosea, in medio dorso maculata duabus lineis aurantiacis interruptis, nonnunquam in integrum deficientibus.

**COROLLA** magna. *Ungues* erecti, calyce duplo longiores, intus flavi. *Laminae* albæ cum altero latere dorsali carneo, rotundatæ, amplæ, patentissimæ.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulata, æqualia, in summitate glabra, cæterum pilis capitatis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* superne hirsutum, callosum. *Styli* longissimi, hirsuti pilis modo capitatis omnibus, modo omnibus simplicibus, modo utrisque mixtis, sed semper brevibus.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

62.

## OXALIS GLANDULOSA. Tab. 46.

**BULBUS** ovatus, cortice nigro duroque tectus, avellana duplo major.

**STIPES** unus alterve, exsertus, teres, pennam columbinam crassus, ab una ad tres uncias longus, erectus vel procumbens, villosus, squamosus, aphyllus, purpurascens, debilis, umbella foliorum florumque densa terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, in orbem patula. *Petiolus* basi articulatus, teres, pallide virens vel subpurpurascens, unam alteramve unciam longus, pilis capitatis hirsutus. *Foliola* subsessilia, punctatula, ad oras & in dorso pilis capitatis villosa, in facie raris pilis simplicibus obsita & virentia, subtus sæpius sanguinea, obtusa, integerrima, a dimidia uncia ad integram longa, intermedium cuneiformi-obovatum, lateralia oblonga.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, longitudine foliorum vel iisdem multo longiores, teretes, albidi, pilis capitatis villosi, erectiusculi vel patentés; cum *bracteolis* oppositis articulantibus infra medium.

**CALYCIS** foliola lanceolata, obtusula, pallide virentia, pilis capitatis ad oras rarisque iisdem in dorso villosa, erecta, ad basin sæpe purpurascens, infra apicem macula subrotunda lutea aut unica aut geminis insignita, etiam non raro in integrum deficiente.

**COROLLA** calyce multoties longior, glabra, ampla, foris tota fordide albens, interne basi flavens & erecta, cæterum alba obtusa & patentissima.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta cum denticulis sic hirsutis. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* superne hirsutum, callosum. *Styli* intermedi, pilis simplicibus obtusis hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* In tabula sistantur aucta pistillum & pars folioli lateralis cum abrupto petiolo.

## OXALIS TRICOLOR. Tab. 47.

**BULBUS** ovato-subrotundus, cortice nigro vestitus, nuce avellana major.

**STIPES** plerumque totus subterraneus, una alterave squama superne instructus, brevis, aphyllus, teres, fere pennam columbinam crassus, umbella terminatus foliorum florumque densiore.

**FOLIA** plura, ternata, erecta aut patula. *Petiolus* basi articulatus, antice sulcatus, compressulus, hirsutus, unam alteramve unciam longus. *Foliola* sessilia, integerrima vel leviter emarginata, plus minus uncialia, ad oras villosa, utrinque virentia; supra hirsuta leviterque punctata; subtus pallidiora, multum punctata, minusque hirsuta, medium cuneiformi-obvatum, lateralia oblonga.

**SCAPI** plures, basi articulati, uniflori, teretiusculi, villosi, pallidi, foliis longiores, erectiusculi; cum *bracteolis* oppositis articulantibus circa medium.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, hirsuta, pallide virentia, ciliata, erecta.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* erecti, calyce triplo longiores, fordide flaventes. *Laminae* amplissimae, rotundatae, patentissimae, intus luteae, foris ex flavo pallentes cum altero latere dorsali sanguineo-punctato.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus coalita. *Interiora* denticulata, aequalia, pilis capitatis rariter hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antherae* incumbentes, luteae. *Germen* oblongum, cum virore pallens, superne dense hirsutum, callosum. *Styli* intermedii, pilis capitatis hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

63. b)

OXALIDIS TRICOLORIS VARIETAS. *Tab. 48.*

BULBUS ovalis, uncialis, cortice nigro duroque tectus.

STIPES aut totus subterraneus, aut simul parumper exsertus, squamosus, aphyllus, teres, albidus, plus minus uncialis, erectus, penna columbina gracilior, umbella foliorum florumque densiore terminatus.

FOLIA plurima, ternata, in orbem patentia. *Petiolus* basi articulatus, teres, villosus, ab una ad duas uncias longus. *Foliola* subsessilia, utrinque punctata villosula & viridia, ciliata, plus minus femuncialia, intermedium cuneiformi-obovatum & subemarginatum, lateralia oblonga rotundata & integerrima, subtus obscure per lentem multicallosa.

SCAPI plures, basi articulati, uniflori, teretiusculi, villosuli, albidi, erecti, foliis duplo longiores; cum *bracteolis* oppositis articulantibus circa medium.

CALYCIS foliola lanceolata, acutula, ciliata, villosa, erecta cum apicibus nonnunquam patulis, pallide virentia cum oris inferioribus atrofanguineo-punctatis, superne saturatius virentia callisque luteis magis minusve adspersa.

COROLLA calyce quintuplo longior. *Ungues* erecti, flavescens, calyce duplo longiores. *Laminæ* amplæ, rotundatæ, patentissimæ, albæ cum altero latere dorsali sanguineopunctato & villosulo.

GENITALIA. *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulata, æqualia, superne glabra, cæterum pilis capitatis hirsutissima cum denticulis etiam sic hirsutis. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, lutæ. *Germen* superne hirsutum, callosum. *Styli* intermedi, pilis capitatis hirsutissimi.

FLORET apud nos Octobri & Novembri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.



## OXALIS EXALTATA. Tab. 49.

**BULBUS** ovalis, fescuncialis, cortice nigro duroque tectus.

**STIPES** partim subterraneus, partim exsertus & squamosus, teres, plus minus uncialis, erectus, aphyllus, umbella foliorum florumque densa terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, erecta vel patula. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, viridis, hirsutus, plus minus biuncialis. *Foliola* subsessilia, ad oras & facie hirsuta, dorso punctata & glabra, apice rotundata, semuncialia, modo immaculata omnia, modo quædam in facie maculis fuscis adspersa, modo sic adspersa omnia, intermedium obverse ovatum & emarginatum, lateralia oblonga & integerrima.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, teretes, graciles, albidi, villosuli, erecti, foliis duplo altiores; cum *bracteolis* oppositis, articulantibus, circa medium.

**CALYCIS** foliola lanceolata, obtusula, hirsuta, ciliata, pallide virentia cum maculis infra apicem aurantiacis subrotundis ab unica ad quatuor, erecta.

**COROLLA** calyce quinquies longior. *Ungues* erecti, ex flavo pallentes. *Laminæ* rotundatæ, patentissimæ, albæ cum altero latere dorsali purpurascente.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, superne glabra, cæterum una cum denticulis minutissime hirsutula. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* cum virore pallens, superne hirsutum, callosum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos a Septembri ad Decembrim.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

## 65.

OXALIS RUBROFLAVA. *Tab. 50.*

**BULBUS** subovatus, tunica nigrofusca vestitus, uncia brevior.

**STIPES** exsertus, squamosus, aphyllus, teres, pennæ columbinæ crassitie, villosus, erectiusculus, plus minus uncialis, umbella foliorum florumque densiore terminatus.

**FOLIA** plura, ternata, erecta aut patula. *Petiolus* basi articulatus, teres, antice fulcatus, hirsutus, plus minus biuncialis. *Foliola* obtusa, plerumque integerrima, ad oras villosa, utrinque viridia villosa & ad lentem punctatula, subsessilia, intermedium cuneiformi-obovatum, lateralia, oblongiuscula.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, hirsuti, teretes, erecti, pallidi, foliis altiores; cum *bracteolis* oppositis articulantibus infra medium.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, pallide virentia, ciliata, hirsuta, erecta.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* erecti, calyce duplo longiores, pallide flavi. *Laminae* amplæ, rotundatæ, patentissimæ, intus luteæ, foris ex flavo albentes cum altero latere dorsali sanguineo-punctato.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, rariter & minutissime capitatis pilis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* cum virore pallens, superne hirsutum, callosum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

OXALIS FLACCIDA. *Tab. 51.*

**BULBUS** ovato-acuminatus, tunica nigrofulca tectus, subuncialis.

**STIPES** partim subterraneus, partim exsertus, teres, villosus, pennam columbinam crassus, viridis, procumbens, subsquamosus, fescuncialis, aphyllus, umbella foliorum florumque densa terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, erectiuscula & patula. *Petiolus* basi articulatus, teretiusculus, villosus, biuncialis. *Foliola* sessilia, utrinque & ad oras valde villosa & mollia, obtusa, integerrima, fere uncialia, subtus punctis subrotundis flavescensibus sparsis ad lentem notata, intermedium cuneiformi-obovatum, lateralia oblonga.

**SCAPI** multi, uniflori, basi articulati, teretiusculi, villosi, albidi, a quatuor ad sex uncias longi, inferne erecti, cæterum flaccidi; cum *bracteolis* oppositis articulantibus supra medium.

**CALYCIS** foliola inverse cuneiformia, obtusa, ciliata, hirsuta, erecta cum apicibus patulis, virentia cum oris pallidis & inferne tantisper purpura tinctis, infra apicem notata maculis subrotundis aurantiacis ab unica ad quatuor.

**COROLLA** calyce quintuplo longior. *Ungues* erecti, utrinque flavii, calyce duplo longiores. *Laminæ* amplissimæ, rotundatæ, patentissimæ, utrinque albæ cum altero latere dorsali sanguineo-punctato & obsolete villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulata, æqualia, superne glabra, cæterum pilis capitatis rarioribus hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* cum virore pallens, superne hirsutum, callosum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Oxalis exaltata semper scapos habet graciles longos stricteque erectos & folia maculata. Rubroflava & flaccida semper habent folia virentia & immaculata; & harum prior flores flavos in scapis brevioribus & erectis; altera flores albos in scapis longissimis & flaccidis. Quæ si non sufficiunt pro distinguendis speciebus, sunt hæ tres Oxalides ceu varietates considerandæ.

67. a)

## OXALIS VARIABILIS. Tab. 52.

**BULBUS** ovatus, cortice nigricante tectus, avellana duplo minor.

**STIPES** subterraneus, uncialis, umbella foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** plura, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teretiusculus, villosus, ex viridi purpurascens, tres quatuorve uncias longus, erectus vel patulus. *Foliola* subrotunda, leniter emarginata, utrinque semper viridia, subsessilia, venulosa, ad oras villosa, facie glabra & ad lentam manifeste punctata, subtus tota pubescentia.

**SCAPI** plurimi, uniflori, basi articulati, rubescentes, teretes, villosi, a sex ad novem uncias longi, inferne erectiusculi, dein plus minus reclinati; cum *bracteolis* alternantibus inferne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acutula, virentia cum macula una alterave aurantiaca superne, sæpe absente, hirsuta, ciliata modo pilis omnibus simplicibus, modo inferioribus capitatis brevissimis, erecta.

**COROLLA** magna. *Ungues* erecti, utrinque flavi. *Laminæ* ungue longiores, amplæ, rotundatæ, patentissimæ, utrinque albæ cum suffuso carneo colore intus supra ungues, & cum altero latere dorsali subrubente & villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata. *Interiora* denticulata, æqualia, in summitate glabra, cæterum pilis capitatis hirsutissima, cum denticulis similiter hirsutis. *Exteriora* etiam sic parcius hirsuta. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* ex viridi pallens, superne hirsutum. *Styli* brevissimi, basi pilis simplicibus hirsuti, cæterum glaberrimi.

**FLORET** apud nos ab Octobri ad Decembrim.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

## OXALIS VARIABILIS RUBRA. Tab. 53.

**BULBUS** ovatus vel ovalis, cortice nigrofulco duroque tectus, avellanæ magnitudine.

**STIPES** partim subterraneus, partim exsertus & squamosus, plus minus uncialis, umbella foliorum florumque densiore terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, *Petiolus* basi articulatus, teretiusculus, hirsutus, cum virore pallens, duas tresve uncias longus. *Foliola* subrotunda, nonnunquam emarginata, utrinque punctatula & viridia, ad oras villosa, supra glabra, subtus ad nervum medium venasque principes pubescentia, duas aut tres quartas partes unciae longa, subsessilia.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, teretiusculi, pallidi, rariter hirsutuli, erectiusculi, foliis paulo longiores; cum *bracteolis* subalternantibus inferne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, ciliata, hirsuta, virentia cum oris inferne sanguineis, erecta. Pili nonnunquam capitati breves & paucissimi adsunt inter cilia inferiora.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* utrinque flavi. *Laminae* rotundatae, amplae, patentissimae, longitudine unguium, utrinque rubrae cum latere dorsali altero sordide flavescente & villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata. *Interiora* denticulata, ad summum tatem glabra, caeterum una cum denticulis hirsuta pilis capitatis, aequalia. *Exteriora* similiter capitate hirsuta. *Antherae* incumbentes, luteae. *Germen* pallide virens, superne hirsutulum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

68.

## OXALIS GRANDIFLORA. Tab. 54.

BULBUS ovatus, acutus, parvus, solutus.

STIPES subterraneus, fescuncialis, umbella foliorum florumque terminatus.

FOLIA plura, ternata, in orbem expansa. *Petiolus* basi articulatus, teres, antice sulco exaratus, rariter hirsutus, sanguineus, duas plus minus uncias longus. *Foliola* subrotunda, rarius emarginatula, utrinque punctata, venulosa; facie glabra & saturate virentia; dorso pilis raris decumbentibus hirsutula, nitida, modo viridia, modo partim sanguinea, modo sanguinea tota; ad oras villosa, plus minus semuncialia, crassula, subsessilia.

SCAPI plures, petiolorum longitudine, uniflori, basi articulati, pallidi cum suffusa purpura, teretes, glabri vel rarissimis pilis adspersi, erecti; cum *bracteolis* alternantibus inferne.

CALYCIS foliola lanceolata vel ovata, acuta, virentia vel purpurascens cum lineolis fusco-aurantiacis, rariter villosa; ad oras ciliata, superne pilis simplicibus longis, cæterum pilis brevibus capitatis; erecta.

COROLLA maxima. *Ungues* utrinque lutei, erecti. *Laminae* cuneiformes, unguibus longiores, truncatae, patentissimae, albæ cum altero latere dorsali rubescente & villoso, una cum unguibus fescunciam longæ.

GENITALIA. *Filamenta* connata in unum corpus. *Interiora* æqualia, denticulata, in summitate glabra, cæterum pilis capitatis hirsutissima cum denticulis similiter hirsutis. *Exteriora* etiam sic hirsuta. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* conicum, cum virore pallens, totum glaberrimum. *Styli* brevissimi, basi pilis simplicibus hirsuti, cæterum glaberrimi.

FLORET apud nos Octobri & Novembri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Summa huic affinitas est cum *Oxalide* variabili, a qua separo ob sola foliola subtus plerumque sanguinea, quæ in variabili perpetuo sunt viridia.

OXALIS CONVEXULA. *Tab. 55.*

BULBUS ovatus, cortice nigrofulco tectus, avellanæ magnitudine vel duplo major.

STIPES breviter subterraneus; dein exsertus, a tribus ad quinque uncias longus, teres, purpureus, glaber, squamis destitutus, pennæ columbinæ crassitie, vel crassior, totus procumbens, carnosus, fragilis cum fibrilla centrali tenace, apice incrassatus, & ex hoc umbella foliorum florumque densissima & elegante terminatus, tandemque ex eodem dense bulbifer.

FOLIA numerosissima, ternata, quaquaversum expansa. *Petiolus* basi articulatus articulo bidentato, teres, pallide virescens, glaber, tres quatuorve uncias longus. *Foliola* subsessilia, subrotunda, integerrima, convexa, semuncialia, utrinque glabra & punctata, ad oras glabra, supra saturate viridia, subtus pallidiora punctisque argenteis micantia, quædam adulta purpurascencia cum talibus punctis aureis, carnosula.

SCAPI plures, uniflori, basi articulati sine denticulis, compressi, in uno latere exarati sulco, glabri, pallide purpurascences, foliis longiores, erectiusculi; cum *bracteolis* alternis, distantibus, oblongis, obtusis, concavis, glabris, erectis, sæpe subpurpurascensibus, supra medium.

CALYCIS foliola oblonga, obtusa, erecta, glabra cum oris ad lentem per paucissimos pilos simplices ciliatis, fordide ex viridi pallentia cum oris rubidis.

COROLLA calyce quadruplo longior, glabra. *Ungues* erecti, flavescences, calyce paulo longiores. *Laminæ* amplissimæ, rotundatæ, patentissimæ, roseæ cum altero latere dorsali fordide sulphureo.

GENITALIA. *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* edentula, æqualia, superne glabra, cæterum pilis capitatis hirsutula. *Exteriora* inferne pilis simplicibus longioribus rarisque, superne iisdem capitatis brevioribus hirsuta, vel omnino glaberrima. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Styli* intermedii, pilis capitatis hirsuti. *Stigmata* densissime penicilliformia.

FLORET apud nos Novembri & Decembri.

PATRIA: Promontorium bonæ spei.

70.

## OXALIS PURPUREA. Tab. 56.

BULBUS ovatus, solutus, minutus, laxè inclusus cortici nigro triplo & sex-tuplo ampliori.

STIPES subterraneus, ab una ad tres uncias longus, teres, gracilis, sæpe in decursu bulbifer, foliorum florumque umbella densa terminatus.

FOLIA plurima, ternata, patula vel terræ incumbentia. *Petiolus* basi articulatus, teres, dense villosus, pallide virens, ab unica ad tres uncias longus. *Foliola* sessilia, subrotunda, integerrima, ad oras villosa, supra glaberrima, subtus hirsutula & valde punctata, utrinque perpetuo virentia sine ullo alio colore, semunciam & ultra longa.

SCAPI plures, uniflori, basi articulati, teretes, villosuli, pallide virentes, erectiusculi, foliis longiores; cum *bracteolis* sublinearibus, acutis, villosis & approximate alternantibus inferne.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, hirsuta, pilis simplicibus ciliata, virentia, ad oras sanguineo maculata, erecta.

COROLLA calyce multoties longior, campanulata. *Ungues* erecti, flavescens. *Laminae* obverse ovatae, amplae, obtusissimae, unguibus fere longiores, utrinque saturatissime purpureae cum latere altero dorsali fordide flavescens & villosulo.

GENITALIA. *Filamenta* basi coalita in unum corpus. *Interiora* denticulata, aequalia, superne glabra, caeterum pilis capitatis hirsutissima cum denticulis similiter hirsutis. *Exteriora* glabra. *Antherae* oblongae, incumbentes, luteae. *Germen* ex viridi pallens, totum glabrum. *Styli* intermediï, pariter toti pilis capitatis hirsutissimi.

FLORET apud nos Septembri & Octobri.

PATRIA. Promontorium bonae spei.

*Obs.* Oxys africana bulbosa trifolia, flore luteo magno Seb. thes. vol. 1. pag. 37. tab. 22. fig. 10. ab autoribus reduci ad Oxalidem purpuream solet, uti etiam reducit ab ipso Seba; quibus non assentior, nam purpuream flore luteo nunquam vidi, sed, si viderunt alii, hæc esse nequit, quod nimio opere calyx in figura Sebæ repugnet, tum etiam bracteae superiorem scapum occupantes.



## OXALIS LAXULA. Tab. 57.

**BULBUS** ovatus, solutus, nigrofusco cortice tectus, avellana minor.

**STIPES** subterraneus, subuncialis, umbella foliorum florumque laxa terminatus.

**FOLIA** plura, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, antice sulcatus, pallide purpurascens, villis raris adpersus, tres quatuorve uncias longus, varie erectus aut patens. *Foliola* subsessilia, subrotunda, sæpe leviter emarginata, ad oras villosa, supra glabriuscula; subtus valde punctata, hirsutula, & virentia cum suffusa rarius sordente purpura; dimidiam vel duas tertias unciae partes longa.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, rariter hirsutuli, teretes, purpurascens, erectiusculi, longitudine foliorum; cum *bracteolis* linearibus, acutis, hirsutis & alternantibus inferne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, erecta, hirsuta, ciliata pilis simplicibus, quibusdam sæpe versus inferiora brevibus & capitatis, virentia & ad oras sanguineo-maculata.

**COROLLA** calyce multoties longior *Ungues* erecti, flavescens. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, longitudine unguium, patentissimae, albæ cum latere altero dorsali flavescens & villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, superne glabra, cæterum pilis minutim capitatis hirsutissima cum denticulis similiter hirsutis. *Exteriora* glabra. *Antheræ* oblongæ, incumbentes, luteæ. *Germen* ex viridi pallens, superne hirsutum. *Styli* intermedii, pariter toti pilis capitatis simplicibusque hirsutissimi.

**FLORET** apud nos ab Octobri ad Decembrim.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Sic affinis Oxalidi purpureæ, ut fere pro varietate haberi posset.

72.

## OXALIS BREVISCAPA. Tab. 58.

**BULBUS** ovalis, cortice nigro duroque vestitus, unciam longus.

**STIPES** subterraneus, uncialis, crassus, umbella foliorum florumque densa terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, in orbem prostrata. *Petiolus* basi articulatus, villosus, valde compressus, crassus, albus vel purpureus, ab una ad tres uncias longus. *Foliola* subsessilia, subrotunda, rarius leviter emarginata, ad oras villosula, cæterum utrinque glabra, supra ex glauco virentia & ad lentem punctatula, subtus manifeste punctata & plerumque magis minusve sanguineo-rubra, fere unciam longa.

**SCAPI** successive plurimi, uniflori, basi articulati, compressuli, villosuli, purpurascens, vix unciales, erecti vel adscendentes, post florescentiam fricte prostrati; cum *bracteolis* circa medium subalternantibus.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, villosula, ciliata, erecta, purpurascens.

**COROLLA** calyce quadruplo longior, glabra. *Ungues* erecti, flavescens. *Laminae* albæ, rotundatæ, patentissimæ.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, apice patula, pilis capitatis parcius hirsuta cum denticulis similiter hirsutis. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* cum virore pallens, superne hirsutum. *Styli* intermedii, ad basin pilis simplicibus hirsuti, cæterum glabri.

**FLORET** apud nos Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

## 73.

OXALIS RIGIDULA. *Tab. 59.*

**BULBUS** ovatus, uncialis, cortice nigricante vestitus.

**STIPES** subterraneus, uncialis, umbella foliorum scaporumque rigidula terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, in orbem patentia. *Petiolus* basi articulatus, teretiusculus, hirsutulus, pallidus, duas tresve uncias longus. *Foliola* subsessilia, subrotunda, rarius leviter emarginata, utrinque punctata viridia & glabra, subtus ad solum nervum medium rariter hirsuta, ad oras villosa, venosa, subuncialia.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, subteretes, rariter hirsutuli, pallide purpurascētes, ascendentes aut erectiusculi, foliorum plus minus longitudine; cum *bracteolis* alternantibus & hirsutis inferne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, hirsuta, viridia, immaculata, pilis simplicibus longis aliisque capitatis brevibus mix<sup>t</sup>im ciliata, erecta, post corollæ lapsam semireflexa.

**COROLLA** calyce quadruplo longior. *Ungues* erecti, flavi. *Laminae* amplæ, rotundatæ, longitudine unguium, patentissimæ, albæ cum altero latere dorsali sulphureo & ad lentem villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsutissima cum denticulis simili modo hirsutissimis. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* oblongum, cum virore pallens, superne hirsutum. *Styli* longissimi, pilis capitatis brevissimis cum immixtis paucis simplicibus longis hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

## 74.

## OXALIS SPECIOSA. Tab. 60.

**BULBUS** ovalis, cortice nigricante vestitus, uncia brevior.

**STIPES** subterraneus, uncialis, superne squamosus, umbella foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** plurima, ternata, in orbem patentia. *Petiolus* basi articulatus, teretiusculus, hirsutus, magis minusve rubellus, a duabus ad quatuor uncias longus. *Foliola* subsessilia, subrotunda, rarius submarginata, ad oras dense villosa, supra viridia, utrinque glabra; subtus omnia saturatissime tota sanguinea & nitidissima, qualia jam esse incipiunt brevi post ortum; fere uncialia.

**SCAPI** plures, uniflori, basi articulati, compressuli, densius hirsuti, pallide purpurascens, erecti, foliis breviores; cum *bracteolis* subalternantibus inferne.

**CALYCIS** foliola ovata, acutula, erecta, virentia cum basi purpurea, hirsuta, pilis simplicibus ciliata.

**COROLLA** calyce quintuplo longior, elegans. *Ungues* erecti, fordide flavescens. *Laminae* amplae, rotundatae, patentissimae, saturatissime roseae cum altero latere dorsali fordide flavescens & villosa, unguibus longiores.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, aequalia, pilis capitatis hirsutissima cum denticulis uno alterove simili pilo instructis. *Exteriora* glabra. *Antherae* incumbentes, luteae. *Germen* ex viridi pallens, superne hirsutum. *Styli* longissimi, pilis capitatis brevibus cum immixtis paucissimis simplicibus longisque hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

## OXALIS SUGGILLATA. Tab. 61.

BULBUS ovalis, cortice nigricante vestitus, uncia brevior.

STIPES subterraneus, plus minus fescuncialis, umbella foliorum florumque terminatus.

FOLIA plura, ternata, in orbem patentia. *Petiolus* basi articulatus, tere-tiusculus, hirsutus, magis minusve rubellus, a duabus ad tres uncias longus. *Fo-liola* subsessilia, subrotunda, rarius leviter emarginata, ad oras dense & longius villosa, supra viridia & glabra, subtus nitide punctata & ad lentem hirtula, junio-ra subtus viridia; adulta plura (nec tamen omnia) successive magis minusve sub-tus sanguineo-livida, sic ut hic color tandem quoque faciei partem marginalem oc-cupet; subuncialia.

SCAPI plures, uniflori, basi articulati, compressuli, subhirsuti, pallide pur-purascentes, erecti, foliis breviores; cum *bracteolis* subalternantibus inferne.

CALYCIS foliola ovata, acutula, erecta, virentia, immaculata, hirsuta, pi-lis simplicibus ciliata.

COROLLA calyce quadruplo longior. *Ungues* erecti, flavi, calycem pa-rum superantes. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, amplae, patentissimae, gla-brae, albæ cum altero latere dorsali roseo.

GENITALIA. *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticu-lata, æqualia, pilis capitatis hirsutissima, cum denticulis glabris. *Exteriora* gla-bra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* cum virore pallens, superne hirsu-tulum & simul callosum, *Styli* longissimi, pilis capitatis brevibus cum immixtis paucissimis simplicibus longisque hirsutissimi.

FLORET apud nos Septembri & Octobri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

76.

OXALIS TRUNCATULA. *Tab. 62.*

**BULBUS** ovato-subrotundus, cortice nigro duroque vestitus, fere nucis juglandis magnitudine.

**STIPES** exsertus, omnium brevissimus, umbella foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** plura, ternata, in orbem patentia. *Petiolus* basi articulatus, plus minus fescuncialis, compressulus, crassulus, villis albis lanatus. *Foliola* subsessilia, obverse triangularia, truncata, semunciam longa lataque, ad oras sericeo-ciliata, venis supra intropressis subtusque protuberantibus percurfa; facie ad lentem punctatula, sericea, & subincana; dorso violaceo cum venis pallidis & dense sericea; crassula & ad tactum instar althææ mollia.

**SCAPI** plusculi, uniflori, basi articulati, teretes, albidis villis dense hirsuti, erecti, tres quatuorve uncias alti; cum *bracteolis* oppositis articulantibus supra medium.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acutula, villosa, erecta, virentia, villis ciliata sericeis.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* erecti, calyce duplo longiores, flavescentes. *Laminæ* late cuneiformes, rotundatæ, unguium longitudine, patentissimæ, ex violaceo purpurascens, cum altero latere dorsali pallido & villosulo.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* appendiculata, æqualia, pilis capitatis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Styli* longissimi, pilis simplicibus hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

77.

## OXALIS SULPHUREA. Tab. 63.

BULBUS ovalis, cortice nigricante duro tectus, unciam & ultra longus.

STIPES subterraneus, plus minus uncialis, umbella foliorum florumque terminatus densa.

FOLIA plurima, ternata, in orbem expansa. *Petiolus* basi articulatus, teretiusculus, hirsutus, purpurascens, ab una ad tres uncias longus. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, utrinque valde punctata, ad oras villosa; facie atrovirentia, venis elevatis hirtulis subreticulata, cæterum glabra; dorso villosula, sanguinea, punctisque aureis micantibus adspersa; plus minus semunciam longa lataque.

SCAPI plures, uniflori, basi articulati, teretes, pallidi, hirsutuli, erectiusculi, foliorum longitudine; cum *bracteolis* alternantibus inferne.

CALYCIS foliola ovata, obtusula, ad oras pilis clavatis ciliata cum missis inferne pilis brevioribus capitatis multis paucisque, cæterum glabra vel ad lentem villosula, pallidissime virentia cum oris ad medium usque rubris, apice utrinque lineis aurantiacis percursa, erecta cum apicibus reflexis.

COROLLA tota sulphurea, calyce multoties longior. *Petala* cuneiformia, rotundatula, ad medietatem usque erecta & intus lutea, hinc patentissima.

GENITALIA. *Filamenta* basi connata. *Interiora* edentula, æqualia, pilis simplicibus rariter hirsuta. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Styli* longissimi, pilis simplicibus hirsuti.

FLORET apud nos Octobri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

78.

OXALIS NATANS. *Tab. 76. fig. 2.*

RADIX . . .

STIPES filiformis, submersus, longitudine indeterminata, paucis in decursu squamis instructus, aphyllus, terminatus in umbellam foliorum florumque, superficiæ aquæ innatantem.

FOLIA plura, ternata. *Petiolus* basi latefcens, sed non articulatus, villosulus, vix unam quartam unciaë partem longus. *Foliola* subsessilia, obverse cordata; supra viridia, versus oras per lentem punctatula, & obsolete villosula; subtus glauca, glabra, & impunctata; vix longitudine petiolorum.

SCAPI ab unico ad quinque, uniflori, non articulati, glabriusculi, **erecti** unciales; cum *bracteolis* oppositis & obtusis inferne.

CALYCIS foliola oblonga, obtusa, glabra, interiora duo breviora.

COROLLA calyce duplo longior, alba.

GENITALIA. *Filamenta* basi in unum corpus connata, tota glabra. *Interiora* edentula, æqualia. *Germen* superne villosulum. *Styli* brevissimi, glabri.

FLORET in solo natali Septembri & Octobri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei in aquis prope fluvium Breede Rivier infra Roodesand.

*Obs.* Ad specimina sicca & descriptionem Thunbergii.



## OXALIS STRUMOSA. Tab. 64.

**BULBUS** ovalis vel obverse ovatus, tunica nigra duraque tectus, fere unciam longus.

**STIPES** subterraneus, unam alteramve unciam longus, umbella foliorum & florum terminatus densa.

**FOLIA** numerosa, tota utrinque & ad oras villosa, ternata. *Petiolus* teretiusculus, unam alteramve unciam longus, sordide purpurascens, basi articulatus. *Foliola* subsessilia, intermedium obverse cordatum, lateralia fere subrotunda, utrinque punctata, supra sordide & saturate virentia cum adspersis maculis oblongis lividis, subtus plerumque tota livida, vix semunciam longa.

**SCAPI** plurimi, teretes, villosuli, pallide purpurascens, uniflori, modo foliis breviores, modo æquales, modo longiores, basi articulati; cum *bracteolis* oppositis & articulantibus inferne.

**CALYCIS** foliola oblonga, obtusa, erecta, in dorso & ad oras pilis simplicibus hirsuta, in dorso sanguinea cum disco medio virente & superne duabus lineis longitudinalibus aurantiacis insignita.

**COROLLA** calyce sexies longior. *Ungues* erecti, breves, intus flavi, foris magis albidi. *Laminæ* amplæ, rotundatæ, patentissimæ, intus albæ, foris ad alterum latus rubropunctatæ.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata. *Interiora* denticulata, æqualia, in summitate glabra, cæterum pilis minutissime capitatis hirsuta. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* oblongum, superne hirsutissimum, cum virore pallens, callosum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti, subtus in collo sive infra stigma strumam sive glandulam gerentes convexam nitidam & ex rubro aurantiacam.

**FLORET** apud nos ab Octobri ad Decembrim.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

80.

## OXALIS LUTEOLA. Tab. 65.

BULBUS ovatus vel ovalis, cortice nigricante vestitus, avellana duplo minor.

STIPES subterraneus, unciam plus minus longus, umbella foliorum florumque terminatus laxa.

FOLIA plura, tota utrinque & ad oras villosa, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, pallidus, a duabus ad quatuor uncias longus. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, utrinque sordidius virentia, subtus punctata, nec unquam a me visa livida, vix semunciam longa.

SCAPI plusculi, uniflori, basi articulati, erectiusculi, ad lentem villosuli, foliis longiores, albidi; cum *bracteolis* oppositis & articulantibus superne.

CALYCIS foliola oblonga, obtusa, erecta, dorso & ad oras pilis simplicibus dense hirsuta, virentia, subtus infra apicem duabus lineolis aurantiacis notata.

COROLLA tota lutea. *Ungues* erecti, calyce duplo longiores. *Laminae* rotundatae, ampliores, patentissimae.

GENITALIA. *Filamenta* basi connata. *Interiora* denticulata, aequalia, pilis capitatis hirsuta; denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antherae* oblongae, incumbentes, luteae. *Germen* ovatum, cum virore pallens, superne subhirsutum & paucissimis callis luteis donatum. *Styli* brevissimi, pilis simplicibus hirsuti.

FLORET apud nos Octobri & Novembri.

PATRIA. Promontorium bonae spei.

## 81.

## OXALIS LANATA. Tab. 77. fig. 2.

**BULBUS** profunde insidens.

**STIPES** exsertus, dense lanatus, squama una alterave lanata instructus, plus minus semuncialis, in umbellam florum foliorumque terminatus.

**FOLIA** plura, ternata, parva. *Petiolus* hirsutus, semuncialis. *Foliola* sessilia, obverse cordata, lata, utrinque & ad oras densis longisque villis hirsuta.

**SCAPI** plures, uniflori, hirsutissimi, a dimidia ad duas uncias longi; cum *bracteolis* supra medium oppositis, lanceolato-linearibus, acutis, concavis, villosis, erectis, articulantibus.

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, hirsuta, ciliata, erecta.

**COROLLA** calyce quadruplo longior, foris villosa, campanulata. *Ungues* erecti, flavescentes. *Laminae* obverse ovatae, obtusae, patulae, albæ.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in cylindrum hirsutum. *Interiora* gibbo obtuso denticulata, æqualia, pilis simplicibus hirsuta. *Exteriora* similiter hirsuta. *Antheræ* ovatae, erectae, flavæ. *Germen* hirsutum. *Styli* brevissimi, similiter hirsuti, flavi.

**FLORET** . . .

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Ad descriptionem & specimen siccum Thunbergii.

82.

## OXALIS PUNCTATA. Tab. 66.

**BULBUS** ovalis vel ovatus, avellana duplo minor; cortice duro, nigricante, varie anguloso, friatulo, & rugosulo tectus.

**STIPES** subterraneus, plus minus semuncialis, umbella foliorum florumque terminatus rariore.

**FOLIA** plura, ternata. *Petiolus* basi articulatus, gracilis, debilis, teres, villosulus, pallide virens vel purpurascens, ab unica ad tres uncias longus. *Foliola* subsessilia, intermedium obverse subcordatum, lateralia fere subrotunda, utrinque & ad oras glabra, utrinque punctata, supra saturate virentia, subtus læte purpurea cum punctis micantibus aureis, unciae tertiam partem longa lataque.

**SCAPI** plusculi, uniflori, basi articulati, teretes, pilis capitatis villosuli, erectiusculi, pallidi, foliis paulo longiores; cum *bracteolis* alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola ovata, acutula, erecta, in dorso & ad oras pilis capitatis hirsutula, virentia cum oris purpureis.

**COROLLA** calyce sexies longior. *Ungues* erecti, flavescentes. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, patentissimae, pallidissime carneae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata, omnia (ut & ipsi dentium apices) pilis capitatis rarioribus hirsuta. *Interiora* denticulata, inæqualia. *Antherae* incumbentes, luteae. *Germen* pallens cum virore, superne hirsutum. *Styli* brevissimi, superne glabri, inferne pilis simplicibus hirsutuli.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

OXALIS OBTUSA. *Tab. 79. fig. 1.*

BULBUS profunde infidens.

STIPES exsertus, villosus, semuncialis, in umbellam foliorum florumque terminatus.

FOLIA plura, ternata. *Petiolus* hirsutus, uncialis. *Foliola* sessilia, obverse cordata, utrinque & ad oras hirsuta, parva.

SCAPI plures, uniflori, villosi, fescunciales; cum *bracteolis* superiore oppositis, lanceolatis, villosis, articulantibus.

CALYCIS foliola oblonga, rotundate obtusa, ciliata, hirsuta, erecta.

COROLLA calyce quadruplo longior, campanulata. *Ungues* erecti, flavi. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, patentissimae, glabrae, purpureae vel ex purpureo variegatae.

GENITALIA. *Filamenta* basi connata, glabra. *Interiora* denticulata, inaequalia. *Antherae* oblongae, incumbentes. *Germen* ex subrotundo ovatum, superne hirsutulium. *Styli* intermedii, pilis simplicibus hirsuti.

FLORET . . . . .

PATRIA. Promontorium bonae spei.

*Obs.* Ad Thunbergii specimen siccum & descriptionem.

## 84.

## OXALIS FALLAX. Tab. 67.

**BULBUS** ovatus vel ovalis, cortice nigrofusco vestitus, avellana duplo minor.

**STIPES** subterraneus, unciam plus minus longus, umbella foliorum florumque terminatus laxa.

**FOLIA** plura, tota utrinque & ad oras villosula, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, a duabus ad quatuor uncias longus, pallidus. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, utrinque fordidius virentia, subtus punctata & rarius livida, vix semunciam longa.

**SCAPI** plusculi, uniflori, basi articulati, albidii, erectiusculi, ad lentem hirsutuli, foliis longiores, infra florem nonnunquam maculis rubris notati; cum *bracteolis* oppositis & articulantibus superne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, obtusula, erecta, subtus & ad oras pilis simplicibus rariter hirsuta, in dorsi disco inferne sanguineo-maculata & infra apicem duabus lineolis luteis insignita, cæterum pallide virentia.

**COROLLA** tota lutea. *Ungues* erecti, calyce duplo longiores. *Laminae* rotundatae, amplae, patentissimae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata. *Interiora* denticulata, aequalia, pilis capitatis hirsuta; denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antherae* incumbentes, luteae. *Germen* oblongum, cum virore pallens, superne paucis pilis paucisque callis aurantiacis instructum. *Styli* intermedii, pilis capitatis hirsuti.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

## 85.

OXALIS MARGINATA. *Tab. 68.*

BULBUS ovalis, cortice nigrofulco duroque vestitus, uncialis.

STIPES subterraneus, vix uncialis, umbella foliorum florumque terminatus densa.

FOLIA plurima, in orbem sparsa, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teretiusculus, crassus, hirsutissimus, purpureus, unam alteramve unciam longus. *Foliola* obverse cordata, utrinque punctata, ad oras villosa, firmula, venosula; supra glabra & atrovirentia; subtus sanguinea cum margine superiore ex cinereo virente, aureis punctis micantia, & ad lentem villosula; intermedio sæpe tres quartas unciae partes longo unciamque lato.

SCAPI plures, uniflori, basi articulati, teretes, pallidi, crassis pilis hirsuti, erectiusculi vel patuli, fescunciales, petiolis graciliores; cum *bracteolis* alternantibus circa medium.

CALYCIS foliola ovata, acutula, ad oras pilis crassis densius ciliata, cæterum glabra vel ad lentem villosula, pallidissime virentia, apice utrinque lineolis aurantiacis percursa, erecta cum apicibus reflexis.

COROLLA calyce multoties longior. *Ungues* convoluto-infundibuliformes, foris sordide albentes, intus flavi. *Laminae* amplae, rotundatae, unguibus longiores, patentissimae, utrinque albæ.

GENITALIA. *Filamenta* basi connata. *Interiora* edentula, æqualia, pilis simplicibus rarisque hirsuta. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Styli* intermedii, pilis simplicibus hirsutissimi.

FLORET apud nos Octobri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

**OXALIS PULCHELLA.** *Tab. 69.*

**BULBUS** ovalis vel ovatus, cortice nigrofusco duroque tectus, plus minus unciam longus.

**STIPES** subterraneus, brevissimus, umbella foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** plura, in orbem expansa, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teretiusculus, hirsutissimus, purpurascens, unam alteramve unciam longus. *Foliola* obverse cordata, utrinque punctata, ad oras villosa, firmula, venosula; supra glabra & atrovirentia; subtus saturate & vivide sanguinea, aureis punctis micantia, & ad lentem villosula; plus minus semunciam longa lataque.

**SCAPI** plures, brevissimi, vix semunciales, uniflori, basi articulati, teretes, crassis pilis hirsuti, erectiusculi, pallidi; cum *bracteolis* alternantibus supra medietatem.

**CALYCIS** foliola ovata, obtusula; ad oras pilis crassis rariter ciliata, cæterum glabra vel ad lentem villosula, pallidissime virentia cum oris inferne rubris, apice utrinque lineis aurantiacis percursa, erecta cum apicibus reflexis.

**COROLLA** calyce multoties longior. *Ungues* convoluto-infundibuliformes, foris albidi, intus flavescentes. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, longitudine unguium, patentissimae, utrinque albæ cum suffuso intus supra basin carneo colore.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata. *Interiora* edentula, æqualia, pilis capitatis hirsuta. *Exteriora* glabra. *Antheræ* incumbentes, luteæ. *Germen* oblongum, superne villosulum, cum virore pallens. *Styli* longissimi, pilis minutissime capitatis hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.



OXALIS MACROGONYA. *Tab. 70.*

**BULBUS** ovalis vel ovatus, cortice nigricante tectus, avellana duplo minor.

**STIPES** subterraneus, unciam plus minus longus, umbella foliorum florumque laxa terminatus.

**FOLIA** plura, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, villosus, cum virore pallens, a duabus ad tres uncias longus. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, utrinque fordidius virentia & punctata, dorso & ad oras villosa, facie glabra, vix semunciam longa lataque.

**SCAPI** plusculi, uniflori, basi præter morem longius articulati, manifeste villosi, erectiusculi, pallidi, foliorum plus minus longitudine; cum *bracteolis* oppositis & articulantibus superne.

**CALYCIS** foliola oblonga, obtusula, erecta, in dorso & ad oras pilis simplicibus rariter hirsuta, pallide virentia, subtus infra apicem duabus lineolis luteis insignita, modo ibidem inferne maculis sanguineis variegata, modo his destituta.

**COROLLA** tota lutea. *Ungues* erecti, calyce duplo longiores. *Laminae* rotundatae, ampliores, patentissimae.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta; denticulis glabris. *Exteriora* glabra. *Antherae* incumbentes, luteae. *Germen* cum virore pallens, glabrum, superne callosum. *Styli* longissimi, pilis capitatis hirsutissimi.

**FLORET** apud nos Octobri & Novembri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

OXALIS INCARNATA. *Tab. 71.*

**BULBUS** in planta juvene ovatus, tunica fusca tectus, piso duplo major.

**RADIX** in adulta multicauli constat ex cruribus pluribus graciliter fusiformibus, in fibram longam terminatis, teretibus, calamum & ultra crassis, aliquot uncias longis, carnosis, fragilibus, pallidis, subpellucidis & dulcibus.

**STIPITES** plurimi, herbacei, teretes, pennam columbinam vel & calamum crassi, glabri, virides vel ex purpureo fusci, ramosi, sesquipedales, erecti, sed sic debiles, ut sustinere sese, nisi suffulti, nequeant, basi & ad ortum ramorum instructi *stipula* ovato-acuminata, una cum ramis in umbellas foliosas florigerasque distantes terminati.

**FOLIA** ad remotas distantias verticillata, plura, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, gracilis, glabriusculus, patulus, plus minus biuncialis, viridis. *Foliola* breviter petiolata, late obverse cordata, æqualia, integerrima, plana, patentissima, plus minus dimidiam unciam longa; supra viridia & glabra; subtus punctata, magis minusve incarnato-purpurea, ad lentem dense villosula, & ad oras serie punctorum aurantiacorum, in exsiccatis foliis nigricantium, & solo microscopio ad lucem observabilium notata.

**PEDUNCULI** basi articulati, axillares, uniflori, teretes, ad lentem pubescentes, virides, longitudine foliorum; cum *bracteolis* superne oppositis erectis & articulantibus; supra has nutantes & purpurei.

**CALYCIS** villosi foliola oblonga, obtusa cum parvulo mucrone, erecta cum apicibus patentibus, viridia, in dorso infra apicem tribus quatuorve callis oblongis flavisque gibbosa.

**COROLLA** campanulata, calyce triplo longior, glabra. *Ungues* flavescentes, erectiusculi, calyce paulo longiores. *Laminæ* amplæ, rotundatæ, reflexo-patentissimæ, cum levi suffusa purpura albidæ.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis simplicibus capitatisque hirsuta cum denticulis similiter hirsutis. *Exteriora* glabra. *Antheræ* oblongæ, incumbentes, flavæ. *Germen* oblongum, quinesulcatum, pallide virens, glabriusculum. *Styli* longissimi, pilis simplicibus capitatisque hirsuti. *Stigmata* papillose muricata, nec penicilliformia.

**FLORET** apud nos Majo.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

OXALIS BIFIDA. Tab. 79. fig. 4.

RADIX . . .

STIPES exsertus, raro simplex, sæpissime ramosus, filiformis, glaber, striatus, aphyllus, laxis, pedalis & ultra, una cum ramis in umbellam foliorum florumque densam terminatus, an procumbens? *Rami* alterni, secundi, striati, erecti.

FOLIA plura, ternata, glabra. *Petiolus* basi articulatus, striatus, plus minus uncialis. *Foliola* subsessilia, obovato-semibifida, viridia, ad ipsas oras punctis glandulosis rariter adspersa.

SCAPI plures, uniflori, basi articulati, pilosi, foliis longiores; cum *bracteis* paulo supra medium oppositis, articulantibus, fetaceis, apice fulvis.

CALYCIS scoliola oblonga, obtusa cum acumine, hirta, striatula, glandulosa, apice fulva.

COROLLA calyce triplo longior, basi flavescens, cæterum violacea.

GENITALIA. *Filamenta* basi in unum corpus hirsutum coalita. *Interiora* brevissime denticulata, æqualia, pilis simplicibus hirsuta cum denticulis hirsutis. *Exteriora* glabra. *Germen* hirsutum. *Styli* longissimi, pilis simplicibus hirsuti.

FLORET . . .

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Ad specimen siccum & descriptionem Thunbergii.

90.

## OXALIS LONGIFLORA.

RADIX . . .

STIPES exsertus, squamosus, simplex, aphyllus, terminatus in foliosam & florentem umbellam.

FOLIA plura, ternata, petiolata. *Foliola* sessilia, ultra medium bifida; lobis lanceolatis.

SCAPUS unicus, uniflorus; cum *bracteolis* circa medium duabus.

FLOS longus.

GENITALIA. . .

FLORET . . .

PATRIA. Virginia.

*Obs.* Brevissimam hanc & valde incompletam descriptionem mutuavi ex Linnæo; nam plantam ipsam nunquam videre contigit.

## 91.

OXALIS ACETOSELLA. *Tab. 80. fig. 1.*

RADIX perennis, ramosa, teres, nodosa, reptans, fibrillis tenuissimis undique aucta, partim alba, partim rubra, ad nodos squama ovata acuta crassa rigidaque adinstar dentis instructa.

STIPES partim subterraneus; partim exsertus, idque modo brevissime, modo ad aliquot uncias, tunc procumbens & radículas terræ immittens; ad nodos uti ipsa radix denticulatus, teres, hirsutulus, ruber, superne articulis foliorum præteritorum persistentibus dense denticulatus, perennis, ex summitate folia pluscula aggregata scaposque emittens.

FOLIA pauca, ternata. *Petiolus* basi articulatus, teres, hirsutulus, rubellus, a duabus ad tres uncias longus, erectiusculus, debilis. *Foliola* subsessilia, obverse cordata, fere dimidiam unciam longa, latiora, utrinque virentia & hirsuta, breviter ciliata.

SCAPUS unus alterve, basi articulatus, teres, villosulus, rubellus, longitudine foliorum, uniflorus; cum *bracteolis* supra medium amplexicaulibus, villosis, articulantibus.

CALYCIS foliola oblonga, acuta, nonnunquam bifida, hirsutula, ciliata, apice purpurascens, erecta.

COROLLA calyce triplo longior, alba, rarius carnea, campanulata. *Ungues* erecti. *Laminae* obverse ovatae, rotundatae, patentissimae.

GENITALIA. *Filamenta* basi levissime connata, glabra. *Interiora* edentula, æqualia. *Antheræ* oblongae, incumbentes, albidæ. *Germen* ovatum, glabrum. *Styli* æquales, glabri. *Capsula* ovata, obtusa, quinesulcata, glabra.

FLORET Aprili & Majo.

PATRIA. Europa tota. Japonia.

92.

## OXALIS LUPINIFOLIA. Tab. 72.

**BULBUS** ovatus, acutus, sæpe solutus, tunica fuscescente tectus.

**STIPES** subterraneus, biuncialis aut longior, umbella foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** pluscula, tota glabra, digitata, in orbem patentissima. *Petiolus* basi articulatus geniculo ampliore canaliculato & amplexante, compressulus, crassus. *Foliola* plus minus octo, oblonga vel lanceolato-oblonga, obtusula, ex glauco virentia, supra inferne sæpe atropurpureo, utrinque punctata, plus minus uncialia, plana.

**SCAPI** pauci, uniflori, basi articulati, erecti, compressuli, crassi, glabri, foliorum fere longitudine; cum *bracteolis* approximate alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola ovata, acutula, erecta, glabra, viridia.

**COROLLA** calyce multoties longior, tota lutea. *Ungues* erecti. *Laminae* amplissimae, rotundatae, patentissimae, glabrae, cum altero latere dorsali tantisper rubente.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus coalita. *Interiora* denticulata, aequalia, pilis capitatis brevibus rarisque hirsuta, cum denticulis glabris. *Exteriora* similiter hirsuta. *Antherae* oblongae, incumbentes, flavae. *Germen* semiovatum, glabrum, pallide virens. *Styli* brevissimi, glabri.

**FLORET** apud nos Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonae spei.

## 93.

## OXALIS FLAVA. Tab. 73.

BULBUS subrotundus, avellanæ magnitudine, tunica fusca tectus.

STIPES exsertus, squamosus, glaber, pennam columbinam crassus, superne incrassatus, purpurascens, aphyllus, erectiusculus aut ob debilitatem sæpe prostratus, a dimidia ad tres uncias longus, in umbellam foliorum florumque terminatus.

FOLIA pluscula, plus minus quinque, digitata, glabra. *Petiolus* basi anguste & brevissime articulatus, compressulus, crassus, firmus, viridis vel rubens, unam vel duas uncias longus. *Foliola* a quinque ad novem, sessilia, lanceolato-lineararia, obtusa, integerrima, canaliculato-conniventia, nonnunquam apice recurva, utrinque, sed subtus multo manifestius, minutissime punctata, viridia, erectiuscula, ab una ad duas uncias longa.

SCAPI plures, uniflori, basi anguste & breviter articulati, fere semiteretes, glabri, erectiusculi, longitudine & crassitie petiolorum; cum *bracteolis* alternantibus superne.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, erecta cum apicibus patulis, pallide viridia & punctis superne adsperfa fordide purpureis, ad oras pilis capitatis ciliata, cæterum glabra.

COROLLA calyce triplo longior, subcampanulata, tota flava cum laminarum latere dorsali purpurascente. *Laminæ* obverse ovatæ, rotundatæ, integerrimæ, amplæ.

GENITALIA. *Filamenta* basi in unum corpus coalita. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis brevissimis rariter adsperfa cum denticulis glabris. *Exteriora* pilis capitatis hirsuta. *Antheræ* oblongæ, incumbentes, flavæ. *Germen* ovato-oblongum, quinquefulcatum, glabrum, pallens. *Styli* brevissimi, subtus capitate hirsutali, cæterum glabri.

FLORET apud nos Septembri.

PATRIA. Promontorium bonæ spei.

94.

OXALIS FLABELLIFOLIA. *Tab. 74.*

**BULBUS** ovato-subrotundus, tunica fusca vestitus, avellanæ magnitudine, sæpius solutus.

**STIPES** subterraneus, superne exsertus, squamisque magnis & imbricatis instructus, plus minus uncialis, calamum crassus, glaber, teres, umbella foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** pluscula, glabra, digitata. *Petiolus* basi articulatus, teretiusculus, crassus, viridis, erectiusculus, debilis, tres vel quatuor uncias longus. *Foliola* a sex ad novem, linearia, obtusa, punctata, erectiuscula, triuncialia, tres vel quatuor lineas lata.

**SCAPI** plures, uniflori, basi longe articulati, erectiusculi, debiles, hinc sæpe reclinati, teretiusculi, crassitie petiolorum, glabri, pallide virentes; cum *bracteis* approximate alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola quatuor lanceolata, erecta cum apice obtusulo reflexo, glabra, pallide virentia; quintum duplo majus, spathulatum, rotundatum, & totum erectum.

**COROLLA** calyce triplo longior, intus lutea, subtus sulphurea, campanulata, ampla, superne patentissima.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi connata in unum corpus. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsutissima cum denticulis glabris. *Exteriora* similiter hirsuta. *Antheræ* incumbentes, flavæ. *Germen* oblongum, glabrum, cum virore pallens. *Styli* intermediï, sic etiam hirsuti.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.



**OXALIS PECTINATA.** *Tab. 75. et Tab. 78. fig. 2.*

**BULBUS** ovatus, avellana minor, tunica fusca tectus, solutus, ex basi fibræ crassam longamque demittens.

**STIPES** partim subterraneus, partim exsertus, plus minus fescuncialis, superne squamosus, erectiusculus, teres, penna columbina crassior, glaber, purpurascens; umbella foliorum florumque terminatus.

**FOLIA** plura, erectiuscula, glabra, digitata. *Petiolus* basi articulatus, teres, sordide purpurascens, fere pennam columbinam crassus. *Foliola* septem vel octo, oblongo-linearia, obtusa, integerrima, utrinque virentia, cum nervo medio dorsali & basi faciei sordide purpurascens, tres fere uncias longa, tres vel quatuor lineas lata.

**SCAPI** pluresculi, basi articulati, uniflori, teretes, glabri, erectiusculi, fere longitudine foliorum; cum *bracteolis* approximate alternantibus superne.

**CALYCIS** foliola lanceolata, obtusa, glabra, leviter purpurascens, erecta, æqualia; rarissime unum majus & spathulatum.

**COROLLA** calyce quintuplo longior, glabra, lutea. *Ungues* erecti, calyce fere duplo longiores. *Laminæ* rotundatæ, amplæ, patentissimæ, cum altero latere dorsali magis minusve rubente.

**GENITALIA.** *Filamenta* basi in unum corpus connata. *Interiora* denticulata, æqualia, pilis capitatis hirsuta cum denticulis glabris. *Exteriora* similiter hirsuta. *Antheræ* oblongæ, didymæ, erectæ, luteæ. *Germen* ovatum, glabrum, cum virore pallens. *Styli* longissimi, pilis capitatis hirsuti.

**FLORET** apud nos Septembri & Octobri.

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* Tabula 75. plantam cultam; figura 2. tabulæ 78. vero sylvestrem sistit; a Thunbergio missam.

96.

## OXALIS TOMENTOSA. Tab. 81.

**BULBUS** ovalis, tunica fusca tectus, avellana minor, profunde hærens.

**STIPES** subterraneus, duas tresve uncias longus, umbella florum foliorumque terminatus.

**FOLIA** plura, peltate multidigitata. *Petiolus* ex lata basi ortus, non articulatus, teres, hirsutissimus, erectus, pallide virens vel sordide purpurascens, in planta sylvestri plus minus unciam longus, in culta a duabus unciis ad quatuor. *Foliola* plus minus duodecim, in umbellam expansa, ex oblongo cuneiformia, conniventia, emarginata, utrinque punctata, facie glabra, subtus dense hirsuta, in ipsis oris & ad orarum utrumque marginem pilis simplicibus ciliata, plus minus semuncialia.

**SCAPI** pauci, uniflori, non articulati, hirsutissimi, patuli, plus minus longitudine foliorum.]

**CALYCIS** foliola lanceolata, acuta, hirsuta, ciliata, erecta.

**COROLLA** calyce sexies longior, campanulata, foris villosa. *Ungues* erecti. *Laminæ* obverse ovatae, rotundatae, albæ.

**GENITALIA.** *Filamenta* ad basin coalita. *Interiora* denticulata, æqualia, superne pilis simplicibus hirsutula, cæterum glabra. *Exteriora* glabra. *Antheræ* oblongæ, incumbentes. *Germen* ovatum, hirsutum. *Styli* longissimi, pilis simplicibus longisque hirsuti.

**FLORET** . . .

**PATRIA.** Promontorium bonæ spei.

*Obs.* In tabula sistitur Oxalis tomentosa culta colorata, quæ florere apud nos constanter recusat. Ad latus delineata adstat eadem sylvestris florens, a Thunbergio missa, cui opponuntur ad alterum latus genitalia, ex hac ultima desumpta. Descriptio facta est ad plantam cultam, ad sylvestrem, & ad Thunbergii descriptionem.

*Addenda est ad calcem paginae 31.*

*Obs.* 4. Oxalides strictam & corniculatam hoc anno in caldario colui. Utraque Aprili & Majo solitum habitum suum, qualem descripsi, servarunt. Stricta vero, dum caules longiores acquisivit, sustinere se non potuit, sed hos omnes in terram dejecit, sic nunc procumbentes cum extremitatibus tamen semper erectis. Sub initio Julii, dum hæc scribo, & ultima hæc operis pagina jam prælo tradetur, caules hujus Oxalidis æquant sesquipedem, atque etiam ex geniculis paucis inferioribus fibrillam unam alteramve radicalem in terram propellunt; unde corniculatæ evasit propior. Quin corniculata etiam nunc majora folia est adeptæ, ab illis strictæ non distinguenda; & dum caulibus suis numerosis & ramosissimis, totis radicantibus, cistulam, in qua crescit, sesquipedalem opplevit, nunc ramos quosdam emittit erectiusculos, & caulium fines, ultra cistulæ oras pergentes, erigit. Ut nunc fere sola certo distinguantur radice.

## I. Pedunculis multifloris.

A. caulescentes.

B. stipitatae.

A. caulescentes.

- |                         |                          |                         |
|-------------------------|--------------------------|-------------------------|
| 1. <i>pentantha.</i>    | 12. <i>megalorrhiza.</i> | 22. <i>macrostylis.</i> |
| 2. <i>rhombifolia.</i>  | 13. <i>sericea.</i>      | 23. <i>tubiflora.</i>   |
| 3. <i>Plumieri.</i>     | 14. <i>violacea.</i>     | 24. <i>canescens.</i>   |
| 4. <i>Barrelieri.</i>   | 15. <i>caprina.</i>      | 25. <i>secunda.</i>     |
| 5. <i>rosea.</i>        | 16. <i>cernua.</i>       | 26. <i>hirta.</i>       |
| 6. <i>conorrhiza.</i>   | 17. <i>dentata.</i>      | 27. <i>hirtella.</i>    |
| 7. <i>crenata.</i>      | 18. <i>livida.</i>       | 28. <i>multiflora.</i>  |
| 8. <i>Dillenii.</i>     | 19. <i>compressa.</i>    | 29. <i>rubella.</i>     |
| 9. <i>stricta.</i>      | 20. <i>Burmanni.</i>     | 30. <i>rosea.</i>       |
| 10. <i>corniculata.</i> | 21. <i>sensitiva.</i>    | 31. <i>disticha.</i>    |
| 11. <i>repens.</i>      |                          | 32. <i>tenella.</i>     |
|                         |                          | 33. <i>reptatrix.</i>   |

a. foliis simplicibus.

b. foliis binatis.

34. *lepida.*37. *crispa.*35. *monophylla.*38. *afinina.*36. *rostrata.*39. *leporina.*40. *lanceæfolia.*

a. foliolis obvel  
 ovatis, lanceolatis,  
 vel oblongis.

41. *fabæfolia.*42. *laburnifolia.*43. *sanguinea.*44. *minuta.*45. *ciliaris.*46. *arcuata.*

# d i s t r i b u t i o .

## II. Pedunculis unifloris.

### B. stipitatae.

#### c. foliis ternatis.

#### d. foliis digitatis.

β. foliolis linearibus.

γ. foliolis omnibus cuneiformibus.

δ. foliolo intermedio cuneiformi-obovato, lateralibus oblongis.

ε. foliolis subrotundis, vix emarginatis.

η. foliolo medio vel omnibus obverse cordatis.

92. *lupinifolia.*

93. *flava.*

94. *stbellifolia.*

95. *pectinata.*

96. *tomentosa.*

47. *linearis.*

55. *cuneata.*

59. *ambigua.*

67. *variabilis.*

77. *sulphurea.*

48. *gracilis.*

56. *cuneifolia.*

60. *undulata.*

68. *grandiflora.*

78. *ratans.*

49. *reclinata.*

57. *glabra.*

61. *fuscata.*

69. *convexula.*

79. *strumosa.*

50. *miniata.*

58. *pufilla.*

62. *glandulosa.*

70. *purpurea.*

80. *luteola.*

51. *versicolor.*

63. *tricolor.*

71. *laxula.*

81. *lanata.*

52. *elongata.*

64. *exaltata.*

72. *breviflora.*

82. *punctata.*

53. *tenuifolia.*

65. *rubroflava.*

73. *rigidula.*

83. *obtusata.*

54. *polyphylla.*

66. *fleccida.*

74. *speciosa.*

84. *fallax.*

75. *suggillata.*

85. *marginata.*

76. *truncatula.*

86. *pulchella.*


87. *macrogya.*

88. *incarnata.*

89. *bifida.*

90. *longiflora.*

91. *Acetosella.*



*Cicalis pentantha.*




*Oxalis rhombifolia.*




*Oxalis Barrelieri.*






*Cerealis stricta*




*Oxalis corniculata.*




*Oxalis cernua.*



*Oxalis dentata.*



*Oxalis livida.*



*Oxalis macrostylis.*



*Oxalis tubiflora.*



*Oxalis canescens.*







*Oxalis secundata.*



*Oxalis hirta*.




*Oxalis hirtella.*




*Oxalis multiflora.*



*Cecalis rubella.*



*Oxalis rosacea*



*Oxalis disticha.*




*Oxalis tenella.*







*Caulis reptatrix.*




*Oxalis lepida.*




*Oxalis rostrata.*




*Oxalis crispata.*



*Oxalis asinina.*



*Oxalis leporina.*



*Oxalis lanceaeifolia.*



*Orealis tubaeifolia.*







*Oxalis caburnifolia.*




*Oxalis sanguinea.*



*Oxalis ciliaris.*





*Oxalis arcuata.*




*Oryzalis linearis.*

*Clythra punctata*









*Oxalis reclinata.*




*Oxalis miniata.*







*Cyrtis versicolor.*




*Oxalis elongata.*



*Civalis tenuifolia.*



*Cheilanthes polypphylla.*



*Oxalis cuneata.*



*Oxalis cuneifolia.*




*Oxalis pusilla.*



*Oxalis ambigua.*






*Oxalis undulata.*




*Oxalis fusca*




*Orontium glandulosa.*




*Quailis tricolor.* a.




*Oxalis tricolor*. b.



*Oxalis exaltata.*




*Oxalis rubroflava.*




*Oxalis flaccida.*







*Oxalis variabilis.*



*Oxalis variabilis rubra.*




*Oxalis grandiflora.*



*Oxalis corniculata.*




*Oxalis purpurea.*



*Oxalis lacynulata.*




*Oxalis breviscapa.*




*Oxalis rigidula.*







*Oxalis speciosa.*




*Oxalis succullata.*




*Oxalis truncatula.*




*Oxalis sulphurea.*




*Oxalis strumosa.*



*Oxalis luteola*





*Oxalis punctata.*




*Oxalis fallax.*







*Oxalis marginata.*




*Oxalis pulchella.*




*Oxalis macrogonija.*




*Oxalis incarnata.*



*Oxalis lupinifolia.*



*Oxalis flava.*




*Oxalis flabellifolia.*




*Oxalis pectinata.*








1. *O. caprina*. 2. *O. natans*. 3. *O. glabra*.




1. *O. sericea*. 2. *O. lanata*. 3. *O. hirta*. 4. *O. versicolor*.



1. *O. repens*. 2. *O. pectinata*. 3. *O. compressa*. 4. *O. sensitiva*.



1. *O. obtusa* 2. *O. minuta* 3. *O. monophylla* 4. *O. bifida*.



1. *O. Acetosella.* 2. *O. violacea.*



*Oxalis tomentosa.*